BT
701
.B87
1920


CHRISTIAN
THEOLOGICAL
SEMINARY
LIBRARY
INDIANAPOLIS,
INDIANA

This book was transferred from
THE PROVINCIAL STOCK
LIBRARY

P. BONAVENTURA BUSELLI
Ord. Min.

QUALE FUIT

= IUXTA GENESIM =

PROTOPARENTUM PECCATUM ?...

DISSERTATIO EXEGETICO-BIBLICA

(Pro manuscripto)

Quaerendo dicimus, non
sententiam praecipitamus.
S. AUGUSTINUS, De Verbis D.ni
Serm. 23.

CHRISTIAN THEOLOGICAL SEMINARY
SEAL
LIBRARY

LUCAE
EX COOP. TYPOGR. EDITR.
AN. MCMXX

Salvo jure proprietatis et translationis

28218

MEMORIAE DULCISSIMAE

A. R. P. AUGUSTINI MOLINI

QUI QUA PRAESERTIM ENITUIT

SCIENTIA EXEGETICO-BIBLICA

UNIVERSAE FRANCISCALIS FAMILIAE

LUMEN AC DECOR EXTITIT

OPELLAM HANC MOERENTE ADHUC CORDE

EIUS ACERBITATEM OBITUS

DICO

In Dei nomine. Amen.

Quam ex commissione Adm. Rev. Patris Laurentii Giraldi, Ministri Provincialis almae Provinciae S. Bonaventurae in Thuscia, examinavi, probo DISSERTATIONEM, ratus nihil impedire quominus imprimatur.

Pistorii, die 17 Dec. 1918.

P. NAZARIUS ROSATI O. M.
S. Theol. Lector Gen.lis

In Dei nomine. Amen.

Attento judicio A. R. P. Nazarii Rosati, S. Theol. Lect. G.lis, necnon habito testimonio Patrum Ordinis nostri in re exegetico-biblica versatorum, qui nobis declararunt « DISSERTATIONEM *A. R. P. Bonaventurae Buselli O. F. M.* — QUALE FUIT etc. — qua modeste conatur lucem afferre quaestioni gravis momenti, sub aspectu praesertim biblico, typis esse dignam, quippe quae, maxima cum reverentia erga ipsum textum sacrum, ejusque interpretationem patristicam et ecclesiasticam, erudite tractat quaestionem delicatam, quam alii potius intactam relinquunt »: — nihil obstat quominus eadem DISSERTATIO imprimatur.

Florentiae, e Conventu Omnium Sanctorum
Nonis Aprilibus 1919.

Fr. LAURENTIUS GIRALDI
Min. Prov.lis

Lucae, die 22 Februarii 1919.

Theologus, cui legendam hanc DISSERTATIONEM commisimus, retulit nihil in ea inveniri contra fidem vel mores, quod obstet ejus evulgationi.

In quorum fidem etc.

Sac. V. DEL CARLO
Prov. G.lis

PRAESENTIS DISSERTATIONIS OCCASIO

Dum in Athenaeo Collisvitulano, prope Pisciam, institutiones biblicas juvenibus modeste traderem, inter Patres religiosae familiae, qui vespere, ut mos est, recreationis causa insimul conveniebant, enata est quaestio, quae hac in Dissertatione *discutienda suscipitur. Eadem plures dies exarsit crevitque, rationibus, hinc inde, plus minusve persuasibilibus in medium adductis.*

Etsi pluries ab eisdem rogatus, ut ejus solutioni operam impenderem, eamque scientifica methodo pertractarem, eorum precibus constanter restiti; tam ardua semper ipsa mihi visa est, tantisque difficultatibus, praesertim ob tenuitatem Traditionis, plena!

Verum, biennio elapso, dum Carrariae in sanctuario « Virginis Gratiarum » praesidis munus ex superiorum venia obirem, iterum preces, iterumque sodalium instantiae, ut, gravibus scholae occupationibus jam expeditus, quaestioni examinandae et pertractandae animum advocarem. His aliisque id genus incitamentis amplius obsistere nequivi.

En occasio, imo causa determinans hujus scripti.

Haec ex conscientia et veritate duxi innuenda de historia praesentis Dissertationis; *quam quidem latino sermone ac scholastica forma exaravi, tum propter naturam*

quaestionis de qua agitur, tum quia ipsa, non jam vulgi, sed tantum sacrarum disciplinarum cultorum interesse potest.

« *Si quid igitur, ut verbis utar Seraphici Doctoris, imperfectum, vel obscurum, vel improprium, vel minus rectum ibi fuerit, venia occupationi et brevitati temporis et pauperculae scientiae concedatur; si quid vero rectum,* soli Deo honor et gloria *referatur.* » (1)

Lucae ad S. Franciscum,
die 28 Nov. 1918.

P. Bonaventura Buselli
Ord. Min.

---

(1) Breviloq., *Prooem. n. 7.*

I.

DOCTRINA SS. PATRUM EXPONITUR

In peccato Protoparentum, prout in Genesi (Cp. II et III) describitur, tria distingui possunt: I° ipsum peccatum *in se;* II° ejus *circumstantiae;* III° ejusdem *effectus* et *poenae.*

I° Quoad *primum,* cum peccatum nil aliud sit quam *libera legis divinae transgressio,* cumque homo semper agat pro consecutione alicujus boni, sive realis sive apparentis, tamquam finis intenti; quaerere quale fuerit Protoparentum peccatum in se, idem est ac quaerere *(a) qualis* fuerit lex Protoparentibus, ad probandam ipsorum Creatori et Dominatori omnium subjectionem, a Deo imposita, atque ab eis violata; *(b) propter quid* eam violaverint seu quid ipsi appetierint divinam legem seu praeceptum conculcando: quorum prius, nempe legis violatio, ceu materia seu *elementum materiale,* alterum vero ceu forma seu *elementum formale* peccati Protoparentum spectari potest.

Jam *prius illud,* cum a divina voluntate unice pependerit, nonnisi divina supernaturali revelatione nobis innotescere potest, ipsumque aperit Moyses hisce ver-

bis: « *Creavit Deus hominem ad imaginem suam . . . masculum et feminam creavit eos . . . Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat, . . . ut operaretur et custodiret illum. Praecepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quocumque enim die* (hebraice: QUANDO) *comederis ex eo, morte* (hebraice: PRORSUS vel CERTO) *morieris.* » (1) — Hanc autem divinam legem seu praeceptum Protoparentes esse transgressos testatur Genesis pergens: « *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, pulchrum oculis aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo, qui comedit.* » (2) — Ex Genesi igitur dubitari nequit Protoparentum peccatum, *materialiter* inspectum, fuisse vetitam fructus *arboris scientiae boni et mali* comestionem.

Sed *propter quid* (en quaestio *de elemento formali* peccati Protoparentum) tale divinum praeceptum Adam et Heva violarunt? seu quid ipsi appetivere fructum vetitum comedendo? — *Immediate* et proxime: ipsius sensibilem inordinatamque fruitionem et delectationem: « *Vidit,* enim, *mulier,* pergit Genesis, *quod bonum esset lignum ad vescendum aspectuque delectabile* », quod proprie ad gulam pertinet; — *mediate* vero et remote: divinam similitudinem seu excellentiam: « *Nequaquam morte moriemini,* dixit serpens tentator ad mulierem, *sed aperientur oculi vestri et eritis sicut dii* » (3): sperarunt scilicet tali comestione se Deo similes esse futu-

---

(1) GEN. Cp. I et II.

(2) IBIDEM Cp. III v. 6. — Hebraice: « *Vidit fructus bonos esse ad vescendum, pulchros ad videndum, desiderabiles ad intelligendum; et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo* (qui erat) *cum ea, qui comedit.* » Cf. MICH. HETZENAUER *Ord. Cap.*, Comm. in Genesim, 1910.

(3) GEN. III, 5.

ros; hoc autem ad superbiam pertinet, quae nil aliud est quam inordinatus, seu ut ait Seraphicus, « immoderatus appetitus propriae excellentiae ». (1)

Igitur ex narratione mosaica apertissime constat Protoparentum peccatum, *formaliter* consideratum, fuisse *superbiam* simul et *gulam*, ita tamen ut superbia constituerit ejus elementum *principale* et *primum*, juxta illud : « *Initium omnis peccati superbia* » ; (2) gula vero *secundarium et ab eo derivatum :* nam fruitio sensibilis fructus vetiti, non *per se* nec *primo* ab eis inordinate appetita fuit, sed *propter aliud* excellentius et spirituale bonum *per se* et *primo* inordinate appetitum, nempe se Deo similes esse futuros. — « In peccato primorum parentum, ad rem Angelicus, etiam gula locum habuit; dicitur enim (Gen. 3°): « *Vidit mulier* etc. » ; non tamen ipsa bonitas et pulchritudo cibi fuit primum motivum ad peccandum, sed potius suasio serpentis, qui dixit: « *Aperientur oculi vestri et eritis sicut dii* »; quod appetendo, superbiam mulier incurrit; et ideo peccatum gulae derivatum est ex peccato superbiae. » (3)

Ex quibus colligitur, totum hominem secundum utramque naturae suae portionem, necnon secundum utrumque appetitum, ad illud peccatum perpetrandum concurrisse; nam superbia ad rationalem, gula vero ad appetitum sensitivum concupiscibilem pertinet.

Haec summatim est doctrina, quam Ecclesiae Patres, interpretes, Doctores, theologique catholici circa

---

(1) Sent. II, dist. XXII a. 1 q. 1.

(2) Eccli, X, 15.

(3) *Summa theol.*, 2-2, q. 163 a. 1 ad 2. — S. Doctor perpulchram etiam affert rationem hujus derivationis, quae legi potest ibidem (in corp. art.).

Quae autem dicta sunt de gula respectu superbiae, valent etiam de inobedientia, quae juxta Angelicum pariter « causata fuit (in Protoparentibus) ex superbia; et hoc est quod Augustinus dicit ad Orosium (22. 65, 4 : « Homo elatus superbia, suasioni serpentis obediens, praecepta Dei contempsit. » (ibidem).

Protoparentum peccatum, in se inspectum, substantialiter et fere unanimiter tradunt. Ipsi nempe narrationem mosaicam de lapsu primorum parentum *litteraliter,* et quidem *proprio et stricto sensu,* et *quoad omnia,* accipiunt.

Sic, ut stemus in subjecta materia, sicut Patres ea, quae Moyses refert de *terrestri paradiso* (quae et nos litteraliter accipienda esse ducimus), et de *ligno vitae,* litteraliter exponunt; ita quoque *lignum scientiae boni et mali,* ex eorum sententia, fuit *vera et materialis planta* fructifera; Protoparentes *vere* et *materialiter* de ejus fructibus tulerunt et comederunt, et ob id eorum peccatum, formaliter consideratum, fuit revera peccatum *superbiae* simul et *gulae,* materialiter consummatum per inobedientiam seu per comestionem fructus vetiti: « *Eritis sicut dii — bonum ad vescendum — tulit et comedit, deditque viro suo qui comedit.* »

II° Ad *alterum* quod spectat, duae, praecipuae et potissimae, circumstantiae in Genesi (ut cuique illam legenti apparet) a Moyse recensentur: *(a) Protoparentum nuditas,* quin ipsius eos puderet; *(b) serpens mulierem alloquens* ejusque singularis calliditas, quae occasio, imo causa moralis fuit eorum funestissimae praevaricationis; quibus *(c)* tertia addi potest, nempe *anterioritas esus* fructus vetiti ex parte mulieris respectu viri. (1)

---

(1) Diximus: *praecipuae* et *potissimae.* Re sane vera, Caput II Genesis (quod juxta omnes nil aliud est quam fusior explicatio *sextae diei* seu creationis Protoparentum) Moyses, post descriptam amoenitatem terrestris paradisi, specialemque formationem et eminentiam tum primi hominis tum mulieris ex ipso ineffabiliter sumptae; postque relatum oestrum Adami in pulchritudine adjutricis suae pro prima vice contemplanda, qua de causa « relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » — Moyses, inquam, praedictum Caput sic claudit: « *Erat autem uterque nudus* (et significantius) ADAM scilicet et UXOR EJUS, *et non erubescebant* »; —

Harum autem circumstantiarum *primam* et *tertiam* Patres atque Doctores pariter *litterali sensu* accipiunt; *secundam* vero *litterali* simul *et spirituali,* quatenus scilicet serpens ille et fuit *verus* et *realis coluber*, qui erat callidior cunctis animantibus terrae, et fuit *diabolus* seu *Satan*, qui eo tamquam instrumento usus est, ut mulierem alloqueretur, eamque captiosis suis verbis ad divinum praeceptum violandum induceret. Ita communissime. (1)

Porro illas circumstantias sic explicant:

(a) Primam: « erat autem uterque nudus . . . et non erubescebant », *ad litteram,* utpote innocentes; quia scilicet prorsus ignari illius funestissimae legis, de qua loquitur Apostolus: « *Video aliam legem in membris meis,* etc. » (2), seu quia nulla inordinata concupiscentia, quae ex peccato est et ad peccatum allicit, quaeque causa est in homine erubescentiae respectu nuditatis pudendorum, afficiebantur. (3)

---

atque Caput III (quod tentationem, lapsum, effectus, necnon multiplices poenas patrati sceleris describit) sic inchoat: « *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae . . . Qui dixit ad mulierem: Cur praecepit vobis Deus* etc. »; et prosequitur Moyses: *Et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo, qui comedit.* »

(1) « Diabolus in serpente locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo, quo vere ille movere et moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos et signa corporalia, per quae mulier suadentis intelligeret voluntatem ». S. Augustinus, De Gen. ad litteram, XI, 27. — Cfr. et S. Jo. Chrysostomus, tom. II, hom. XVI, in Gen.

Sic pariter ad diabolum, et non proprie ad serpentem, *Augustinus* et Doctores communiter putant referenda esse quae de calliditate serpentis Genesis refert. « Dicendum, scribit Angelicus, quod, sicut Augustinus dicit XI° super Gen. ad litt (c. 28-29), serpens dictus est prudentissimus vel callidissimus propter astutiam diaboli, qui in illo agebat dolum; sicut dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens et astutus movet ad aliquid prudenter et astute suadendum. » 2-2, q. 165 a. 2.

(2) *Ad Rom.* III, 23.

(3) Cf. Martini, in subjecta materia, seu in hunc locum.

(b) Alteram vero, eccur nempe diabolus usus sit *serpente,* qui medium videtur minus aptum ad formandos verborum sonos, necnon (ob horrorem quem ejus aspectus in homine naturaliter gignit) ad tentationem insinuandam? ita explicant: quia *sic*, et non aliter, *ei permisit Deus*. « Non debemus opinari, quod serpentem sibi, per quem tentaret, diabolus elegerit; sed cum esset in illo, propter perversam et invidam voluntatem, decipiendi cupiditas, nonnisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est. » Ita S. Augustinus (1), cui adstipulantur S. Thomas (2), S. Bonaventura (3), Lyranus (4), ceterique Doctores fere omnes.

Quod si quaeras: cur Deus *sic*, et non aliter, diabolo tentare permiserit, multiplices — equidem sensu spirituali — congruentiae rationes ipsi afferunt, quarum potiores Doctor Seraphicus ita perbelle resumit:

« Permissus est homo tentari a diabolo, non in quolibet animali bruto, sed in serpente, I° *ratione operis:* quia enim tentatio fiebat per suggestionis ingressum, quae intrat ad cor per modum serpentis; ideo ut exterior effigies operi responderet interiori, congruum fuit hominem a diabolo tentari in effigie serpentis, cujus est serpere, et venenum infundere, et diffundendo hominem interimere; II° *ratione finis intenti:* quia enim intendebat diabolus faciem hominis et caput et superiorem mentem convertere deorsum, et totum prosternere, et sic prosternendo ad malum finem deducere; ideo permissus est tentare in serpente, qui secundum totum corpus suum habet terrae in suo incessu adhaerere; III° *ratione divini judicii:* quia enim ex illa ten-

---

(1) *De Gen.* ad litt., XI.

(2) *Summa theol.*, 2-2, q. 156 a. 2.

(3) *Sent.* II, dist. XXI, a. 1 q. 2.

(4) Biblia Maxima, *Postilla in Gen.*

tatione, divino judicio, inter tentatum et tentatorem debebat inimicitia exoriri; ideo tentatio hominis in serpente debuit fieri, quem post lapsum maxime exhorreret, et qui maxime sua calliditate insidiatur ut hominem laedat. » (1)

(c) Tertiam denique circumstantiam sic plerique Patres et Doctores explicant, quatenus scilicet, cum mulier *nonnihil se a viro elongasset*, serpens seu diabolus opportunitatem arripuit illam separatim alloquendi et incitandi, eique suadendi ut fructum vetitum comederet; quae proinde tulit et comedit, et dein porrexit viro qui, ne sociam vitae suae contristaret, accepit et comedit.

« Il demonio, ita clar. Martini, movendo la lingua e la bocca del serpente, trovando la donna separata da Adamo, ecc. » (2). Ita Augustinus, Ambrosius, Gregorius Naz., aliique quamplurimi (3). Unde illud Eccli: *A muliere initium factum est peccati* (4), quia, ea dejecta, per ipsam diabolus hominem dejecit.

III° Postremo, *effectus peccati* Protoparentum sequentes in Genesi enumerantur: *(a)* primus, immediatus et potissimus, *aperitio oculorum ipsorum; (b) cognitio propriae nuditatis* conjucta verecundiae, quae *(c)* eos *ad propria corpora obtegenda* impulit; *(d) timor et occultatio amborum*, propter obortam verecundiam, in medio lignorum paradisi, ad vocem Dei eos vocantis, deque conculcata lege percontantis. (5)

---

(1) *Sent.* II, dist. XXI, a. 1 q. 2.

(2) *In subjecta materia*, seu in hunc locum.

(3) Cf. Frassen, tom. V disp. III a. I passim.

(4) Cp. XXV v. 33.

(5) En textus: « *Et aperti sunt* (en praecise verba quae, post comestionem fructus vetiti consummatumque peccatum, immediate habet Genesis) *oculi amborum; cumqne cognovissent se esse nudos, consuerunt folia fieus et fece-*

Porro ex narratione mosaica constat, *duos priores* effectus *ad litteram* accipi non posse, quasi nempe Adam et Heva creati fuerint oculis clausis, propriamque nuditatem prius perspectam minime haberent; dicit enim Genesis: « *Vidit igitur mulier* etc. », et: « *Erat uterque nudus*, et non erubescebant », quod profecto propriae nuditatis cognitionem subaudit. Ergo *spiritualiter* seu *moraliter* praefati effectus sunt intelligendi et exponendi. Ita omnes. (1)

Aliter dicendum de duobus postremis effectibus, quos Patres et Doctores *sensu litterali*, hoc est, tamquam consequentias naturales patrati sceleris communiter accipiunt et exponunt.

---

runt sibi perizomata. — Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso . . . abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. — Vocavitque Dominus Deus Adam et dixit ei: ubi es? — Qui ait: vocem tuam audivi in paradiso et timui eo quod nudus essem, et abscondi me. — Cui dixit: Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti? Gen. III, 7-11.

(1) Audiatur clar. Martini: « *Si apersero gli occhi ad ambedue.* — Il serpente lo aveva promesso; e si avvera adesso, ma in un senso infinitamente diverso da quello in cui volle il tentatore far prendere quelle parole: « *Si apriranno i vostri occhi.* » Si apersero i loro occhi e videro il gran fallo commesso, la orrenda loro dissobedienza in tanta facilità di osservare il comando, la ingratitudine mostruosa ai benefizi del Creatore; videro l' innocenza perduta e con questa la loro felicità ; videro i mali nei quali si erano precipitati, il predominio delle passioni, la morte, i dolori, le malattie, le miserie della vita infinite; videro finalmente il loro reato e i mali, nei quali si erano precipitati, trasmettersi a tutta la loro infelice posterità. — « *Ed avendo conosciuto che erano ignudi* ecc. Agostino scrive: « L' uomo provò allora qual fosse quella grazia di cui era rivestito, quando nella sua nudità niente soffriva d' indecente. » (De Gen. ad litt. II, 32). Privato della grazia e della giustizia originale, esperimenta i primi frutti di quella dura legge che ormai regnava nelle sue membra, e contrariava la legge dello spirito, e ne ebbe dolore e vergogna, e non avendo rimedio per togliere il male, cercò di nasconderlo agli occhi propri ed altrui. » *In subiecta materia.*

Poenae autem Protoparentibus ob transgressionem divinae legis a Deo irrogatae, praeter eas quae serpentem respiciunt, duplicis generis juxta Genesim fuerunt: aliae scilicet *cuique speciales* seu propriae, aliae *utrique communes.*

Nam Deus dixit ad serpentem: « *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae; super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* » (1) Quibus verbis *quatuor* referuntur poenae serpenti in suae tentationis vindictam irrogatae: *(a)* divinae maledictionis in eum fulmìnatio; *(b)* gressus super pectus; *(c)* inimicitia inter ipsum et mulierem, necnon inter semen illius et semen mulieris; *(d)* ipsius serpentis a muliere contritio. (2)

Ad mulierem autem dixit Deus: « *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* » (3); nempe *triplex* poena specialis Hevae inflicta fuit: *(a)* aerumnarum multiplicatio in multitudine conceptuum; *(b)* dolor in partu; *(c)* subjectio potestati viri.

Ad Adam vero: « *Quia audisti vocem uxoris tuae et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. — Spinas et tribulos germinabit tibi . . . In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (4); nimirum *triplici* speciali poena Adam mulctatus est: (*a*) maledictione terrae in suis laboribus; (*b*) ejusdem spina-

---

(1) *Gen.* III, 14-15.

(2) Cf. FRASSEN, tom. V, tract. III, disp. III, sect. III, q. I.

(3) *Gen.* III, 16.

(4) *Gen.* III, 17-19.

rum et tribulorum germinatione; (*c*) victus parcitate et defatigatione ad eumdem sibi comparandum.

Duplicem, denique, materialem seu corporalem poenam *utrique Protoparenti communem* Genesis commemorat: (*a*) necessitatem moriendi; (*b*) eorum ejectionem e paradiso terrestri: « *Reverteris in terram de qua sumptus es* », et: « *Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis.* » (1)

Diximus: *praeter eas quae serpentem respiciunt.* — Nam praedictas poenas, sive speciales sive communes, quibus Adam et Heva mulctati fuerunt, Ecclesiae Patres et Doctores unanimi consensu *litteraliter* (quamvis aliter et aliter) accipiunt atque litteraliter accipiendas esse docent; eas vero quae ad serpentem referuntur, *diversimode* exponunt.

« Notandum, scribit ad rem clar. Frassen, varia fuisse SS. Patrum placita circa poenas illas serpenti irrogatas, num videlicet naturali an mystico serpenti seu diabolo fuerint denuntiatae. Plurimi namque cum S. Augustino *(De Gen.* ad litt., cp. 36) arbitrantur ea maledicta, quae Deus in serpentem dixit, non ad verum serpentem tentationis organum, sed ad diabolum illius artificem pertinere (2), ita quod praefata omnia verba *metaphorice* sint accipienda. - Nihilominus verius dicendum arbitror, maledictionem illam et poenam vere pertinuisse ad ipsum serpentem, licet ipse nullum patraret scelus; velut si quis musicum instrumentum infrangeret, quo afficiat dolore eum qui illo ad canendum utebatur. Ita Deus maledictis ferivit serpentem, quo diabolum, qui per eum locutus fuerat, dolore angeret. » (3)

---

(1) *Gen.* III, 19-23.

(2) En S. Augustini verba: « Quod autem serpenti dicitur: « *Maledictus es* etc. », ad eum, qui per serpentem operatus est, refertur. »

(3) *Loco supra citato.*

Conclusiones

Talis narratio mosaica de peccato Protoparentum tum *in se,* tum *in suis circumstantiis*, necnon *in suis effectibus et poenis* considerato; talis summa doctrinae quam Ecclesiae Patres et Doctores circa ipsum communiter tradunt. Ex qua interim doctrina sequentes generales conclusiones colligi possunt:

I. Quamquam Patres atque Doctores communiter narrationem mosaicam de lapsu primorum parentum *in suo complexu*, seu in iis quae ad ejus substantiam pertinent, *litteraliter* accipiant eamque veram historiam de eodem continere doceant; *quoad ejusdem tamen particularia non omnia sensu litterali et proprio* accipiunt et interpretantur.

II. Quamquam communiter Patres atque Doctores *non pauca* in narratione mosaica sensu potius *spirituali*, quam litterali, et etiam *mixto* accipiant; speciatim tamen (exceptis iis quae Protoparentum nuditatem eorumque erubescentiam respiciunt) ea quae *de fructu vetito ejusque comestione, quaeque de serpente* in Genesi leguntur, *litteraliter* et quidem *sensu proprio* accipiunt et interpretantur.

III. Corollarium generale. — Quapropter notam saltem temeritatis incurreret, qui ea, quae *de fructu vetito* Genesis, *illiusque comestione*, quaeque *de serpente* in Genesi leguntur, aliter, quam *sensu litterali proprio,* intelligenda et exponenda esse doceret.

II.

INTERPRETATIO PATRISTICA ESTNE SUFFICIENS?

Corrollario, quod supra enuntiavimus, nos lubenter subscribimus, optime noscentes universalem SS. Patrum consensum in Sacris Scripturis exponendis esse, per se loquendo, indubium veritatis criterium seu indicium.

Nihilominus liceat hic nobis sciscitari: si nemo unquam Augustinum (et idem dicito de aliis Patribus qui idipsum hac super re senserunt) temeritatis arguit, eo quod *poenas serpenti Genesis inflictas* non litterali et stricto sensu, sed spirituali seu potius *metaphroico* exposuit, eccur temeritatis notam incurreret, qui idipsum hac super re sentiret?...

Eccur insuper, eo ipso quod Patres et Doctores *non omnia*, ut vidimus, particularia narrationis mosaicae *ad litteram* accipiunt, eadem interpretatio extendi non posset, dummodo solidae rationes adsint, *ad ipsum serpentem,* necnon *ad fructum vetitum ejusque comestionem ?*... Forsan, quia hoc pacto valor historicus narrationis mosaicae pessumdaretur?

Ast valor historicus alicujus narrationis nobis non videtur infringi ex hoc, quod, manente substantia,

quaedam tantum ejus accidentalia adjuncta non litteraliter, sed *spiritualiter* vel, ut strictius loquamur, *litteraliter* quidem, ast non sensu proprio, sed *improprio* seu *methaphorico* accipiuntur (1); sicut eadem narratio mosaica suum non amittit valorem historicum, eo quod plurimi Patres, ut vidimus, ea quae *ad aperitionem oculorum et cognitionem propriae nuditatis* referuntur, quaeque *de poenis* serpentis in Genesi leguntur (et alia passim), non stricte ad litteram, sed *metaphorice* interpretantur.

Aliunde, semel admisso (in iis de quibus sermo est) sensu litterali proprio narrationis mosaicae, necesse est, ut inter peccatum et ejus circumstantias, effectus et poenas *unitas* adsit *et consonantia*, adeo ut partes narrationis sic acceptae sese mutuo compleant et illustrent; nam si unitas dos est et proprietas essentialis entis et narrationis, *a fortiori* in narratione mosaica, quae Deo afflante confecta est, eadem refulgere debet.

Jamvero *haec unitas et consonantia litteralis* inter Protoparentum peccatum et ejus circumstantias, effectus et poenas refulget, an secus, in expositione quam de eo peccato communiter tradunt Ecclesiae Patres et Doctores?

Quamquam magna nos eos prosequimur reverentia et veneratione, ut sincere et humiliter dicamus quod sentimus, nobis videtur negandum. Sic, e. g. praedicta *unitas et consonantia deest* praecipuam inter circumstantiam a Moyse in Genesi positam (« *Erat autem uterque nudus ... et non erubescebant* ») et immediatos effectus peccati (« *Et aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos*, etc. ») ibidem ab eodem descriptos; nam isti effectus, ut vidimus, non litteraliter, sed *spiritualiter* a Patribus exponuntur. — Ipsa

---

(1) Germana notio horum sensuum determinabitur infra n.° V.

deest inter serpentem (esto quidem tamquam instrumentum a diabolo assumptum) loquentem *et mulierem* quae, quin eum horrescat, blande auscultat, disputationemque cum eo nectit, quasi serpentem loqui esset res plane naturalis et obvia!... Dicendo autem diabolum serpentem, et non aliud animal ad tentationem insinuandam magis idoneum, assumpsisse, quia *sic et non aliter ei permisit Deus,* quaestio nobis videtur non solvi, sed eludi; nam, ut notat, ni fallor, Aquinas, contra rationem sapientiae est in rerum rationibus assignandis ad causam Primam immediate recurrere. — Ipsa (unitas et consonantia) insuper *deest* inter manducationem fructus vetiti et inde ortam in Protoparentibus *erubescentiam;* inter peccatum gulae *et operimentum*, non jam oris, sed *partium pudendarum:* hoc enim sibi volunt illa verba Genesis: « *Fecerunt sibi perizomata* », id est, ui vertit Martini, *delle cinture.* — Et, ne longior sim, haec unitas et consonantia litteralis *magna ex parte desideratur* inter peccatum gulae et *speciales poenas* mulieri a Deo inflictas: « *Ego multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries fllios,* etc. » Eccur enim, quaeso, si peccato gulae prima mulier peccavit, non organum gulae, sed organa conceptioni et generationi inservientia in ea a justissimo et sapientissimo Judice poenis plectunctur atque mulctantur?... Nullus Patrum aut Doctorum, quod ego sciam, hoc elucidat.

Quid igitur? Responsum habes in sequenti titulo.

IV.

TENTAMEN EXPLICATIONIS

Ex iis quae in praedenti numero breviter notavimus, evidens est explicationem communiter receptam SS. Patrum de Protoparentum peccato, haud suis, nec levibus, carere difficultatibus.

Quapropter sponte veluti sua oritur quaestio — quaestio equidem difficillima, praesertim pro angusto modulo scientiae nostrae in Sacris Scripturis, periculisque prope innumeris plena, sed quae, revolvendo identidem Caput II et III Genesis, plurimis abhinc annis animum nostrum pulsat: possetne (QUAERENDO DICIMUS, NON SENTENTIAM PRAECIPITAMUS) iis quae Moyses refert circa lapsum Protoparentum alia dari explicatio, quae, *salva quoad substantiam veritate historica narrationis mosaicae,* praedictis inconvenientiis obviaret, ipsique insimul *unitatis et consonantiae* characterem impertiret?... En praecise ardua quaestio, quam, adjuvante Deo pleneque Catholicae Ecclesiae judicio eam subjicientes, discutiendam aggredimur.

Nos, interim, quid hac super re modeste sentiamus aperiemus; deinde rationes, quibus opinio nostra inniti videtur, breviter exponemus.

V.

PRAENOTIONES ET STATUS QUAESTIONIS

Antequam hac super re mentem nostram aperiamus, sequentia praenotanda ducimus:

I. *Duplicem sensum* in S. Scriptura Doctores atque theologi communiter distinguunt: *litteralem* seu *historicum,* et *spiritualem* seu *mysticum*, qui etiam *typicus* audit.

Sensus litteralis ille est, ut verbis utar clar. Dondero, « *quem Spiritus Sanctus exprimere voluit, et ipsa Scripturae verba . . . primo et immediate significant.* — Dixi: *quem Spiritus Sanctus exprimere voluit;* quia non quaevis verborum significatio esse potest Scripturae sensus, sed ea dumtaxat, quam Spiritus Sanctus intendit. Quamobrem quaelibet verborum significatio, quae sensum pareret falsum, vel cum aliis Scripturae locis pugnantem, aut Deo indignum, pro sensu litterali Scripturae haberi nequit. — Et ipsa Scripturae verba *primo et immediate* significant. In hoc enim (ut inferius dicetur) sensus litteralis differt a spirituali, quod hic, *non proxime* per verba, sed *mediate* et *remote*,

mediantibus scilicet rebus per verba sensu litterali significatis, a Spiritu Sancto indicatur. » (1)

Unde sensus spiritualis cum eodem auctore optime definiri potest: « *id quod Spiritus Sanctus exprimere voluit, et verba ipsa Scripturae, praeter sensum litteralem, mediate significant;* quatenus scilicet « sensu litterali posito, personae et res, quas verba immediate significant, sint *media* per quae a Spiritu Sancto nobis ille sensus manifestatur. » (2)

Brevius, cum clar. Vigouroux: « Il senso *letterale*, detto anche *storico*, è quello che deriva dal senso naturale delle parole, secondo la loro ordinaria accettazione. Il senso mistico, detto anche spirituale, è quello rappresentato, non già dalle parole, ma dalle cose da quelle espresse. — Il senso mistico e spirituale prende anche il nome di *figurato*, denominazione per altro equivoca, perchè mette a rischio di confondere il senso spirituale col senso metaforico, da cui è affatto distinto... Più esattamente si direbbe *figurativo*. » (3)

II. Sensus *litteralis* (subdivisiones enim sensus spiritualis, utpote ad quaestionem nostram minime pertinentes, omittimus) subdividitur *in proprium* seu *grammaticalem*, et *improprium* seu *metaphoricum*, qui etiam *tropicus* vel *translatus* dicitur.

« *Proprius* ille est, quem verba immediate produnt, si in sua nativa et obvia significatione accipiantur.

---

(1) *Instit. Biblicae*, p. IV Cp. I et II.

(2) *Loco citato.*

(3) *Man. Biblico*, vol. I, § 162 e seg. — Rationem hujus duplicis sensus perbelle affert Angelicus scribens: « Auctor rerum non solum potest verba accomodare ad aliquid. significandum, sed etiam *res* potest disponere in figuram alterius; et secundum hoc in S. Scriptura manifestatur veritas *dupliciter:* uno modo secundum quod res significantur *per verba*, et in hoc consistit *sensus litteralis;* alio modo secundum quod *res sunt figurae aliarum rerum*, et in hoc consistit *sensus spiritualis*. » *Quodlib.* VIII. q. 6, a. 14.

Ita cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum,* sensus litteralis est, Deum, ut verba sonant, esse diligendum. — *Improprius*, quem verba produnt, si haec accipiantur, non in significatione propria, sed translata sive metaphorica. Ita cum dicitur Joan. X, 27: *Oves meae vocem meam audiunt,* sensus litteralis est de Christi fidelibus per oves metaphorice acceptas significatis. » (1)

« Per litteralem sensum, ita Aquinas, potest aliquid significari *dupliciter:* secundum *proprietatem locutionis*, sicut cum dico: *homo ridet;* vel secundum *similitudinem* vel *metaphoram,* sicut cum dico: *pratum ridet.* Utroque modo utitur Scriptura, sicut cum dicimus, quantum ad primum, quod *Jesus ascendit;* et cum dicimus quod *sedet a dextris Dei*, quantum ad secundum; et ideo sub sensu litterali includitur *parabolicus* vel *metaphoricus.* » (2)

III. Differentia inter sensum *metaphoricum* et *spiritualem* sive *mysticum* consistit in hoc, quod « prior, ut ait clar. Janssens, subest *verbis* metaphoricis vel tropicis; hic inest *rebus* sub litterali vel tropico expressis. » (3) Ideoque sensus metaphoricus non destruit veritatem historicam alicujus narrationis — est enim

---

(1) Dondero, Instit. Bibl., p. IV, Cp. I a. I.

(2) Lect. VI in Cp. IV *ad Galatas.* — « Il senso *proprio*, ita perbelle clar. Vigouroux, è quello in cui le parole designano ciò che di primo tratto si presenta alla mente: per esempio, quando S. Giovanni battezza N. S. G. C., bisogna prender tali parole come realmente esprimenti l' immerzione di N. Signore nelle acque del Giordano. Il senso *metaforico* è quello in cui le parole non vanno intese alla lettera, ma soltanto figuratamente (seu secundum similitudinem). Così, quando S. Giovanni dice che G. Cristo è l' *Agnello di Dio*, adopera metaforicamente la parola *agnello*, per esprimere la mansuetudine di nostro Signore, destinato ad essere, come un agnello, la vittima dei peccati degli uomini. E parimente per metafora la Scrittura attribuisce molto spesso a Dio gli occhi, le orecchie, le braccia, la collera, ecc. » *Loco supra citato*, § 163.

(3) *Herm. Sacra,* Cp. V. sect. I, a. 3.

verus sensus litteralis (1) —, sed tantum efficit, ut res vel facta narrata, sub velamine sensibili, seu, ut se exprimit Angelicus, secundum *similitudinem sensibilem* repraesententur.

IV. Cum sensus *metaphoricus* seu *translatus* (2) fundetur in *aliqua similitudine* seu analogia *inter rem* quam nomen, propria significatione acceptum, significat, et *subjectum* cui tale nomen tribuitur, ejus vis seu veritas in eo sita est, ut subjecto reipsa conveniat illa *qualitas intelligibilis* secundum quam tale nominatur; non autem ut ei conveniant *qualitates sensibiles rei,* prout haec in rerum natura est, tali nomine designatae. Ita, ut stemus in exemplo in adnotatione allato, cum Joannes dicit de Christo: *Ecce Agnus Dei*, non jam vult significare Christo competere qualitates physicas agni (hoc enim falsum et impium foret), sed dumtaxat exprimere *singularem ejus mansuetudinem,* qua, sicut agnus innocens non aperiens os suum, pro totius mundi salute sese immolandum carnificibus tradidit. (3)

V. Sensus *metaphoricus* frequentissime in libris utriusque Testamenti, ut omnibus compertum est, occurrit. Cujus rei rationem profunde, ut assolet, affert

---

(1) « Intellectus metaphoricae locutionis in Scripturis est litteralis, quia verba ad hoc proferuntur, ut hoc significent. « *S. Thomas*, 1-2. q. 102, a. 2, ad 1.

(2) S. Augustinus ita definit metaphoram: « Metaphora est de re propria ad rem non propriam verbi alicujus usurpata translatio. » Lib. *contra mendacium,* Cp. 10.

(3) Huc spectant quae habet Augustinus super illud Christi: *Ego sum vitis vera:* « Quid est, Ego sum vitis vera? Numquid, ut adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis *per similitudinem*, non *per proprietatem*, qnemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, et cetera hujusmodi; quae magis ipsa sunt *vera*, ex quibus ducuntur istae similitudines, *non proprietates.* » *Tract.* 80 *in Joan.* — Refert idem Augustinus Manichaeos, ob defectum hujus regulae, sensu litterali proprio accepisse illa Christi verba « *Ego sum lux mundi* », itàque Christum Dominum esse solem putavisse. *Tract.* 34 *in Joan.*

D. Angelicus scribens: « Conveniens est S. Scripturae divina et spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturae. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet. Unde convenienter in Scriptura traduntur nobis *spiritualia sub metaphoris corporalium:* et hoc est quod dicit Dionysius (Cp. I Coel. Hier.): *Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* » (1)

VI. Cum sensus *metaphoricus*, quemadmodum ex dictis patet, sit *verus sensus litteralis*, pro ejus usu statui potest idem ipse *canon generalis*, quem pro sensu litterali in genere superius unacum Dondero statuimus, quemque omnes cordatiores repetunt exegetae: « Quaelibet (verbi vel) verborum significatio, quae sensum pareret *falsum* vel cum ALIIS SCRIPTURAE LOCIS PUGNANTEM, aut *Deo indignum* (vel minus congruum), pro *sensu litterali* (proprio) haberi nequit »; ideoque verba illa *translate* seu *metaphorice* sunt accipienda et intelligenda. (2)

---

(1) Summa Theol., p. I q. I a. 9. — Huc quadrant perpulchi versus Alighieri:

« *Così parlar conviensi al vostro ingegno,*
Perocchè solo da sensato apprende,
Ciò che fa poscia d' intelletto degno.
Per questo la Scrittura condiscende
A vostra facultate, e pied' e mano
Attribuisce a Dio, ed altro intende ».

(PARAD. C. IV, 40)

(2) Hic canon generalis, quamvis negativus, fundatur super regulas speciales positivas sensus litteralis, quas clar. Janssens ad tres potissimas restringit: « I. Interpres *sacrum textum* et *contextum* sedulo expendat; — II. *scopum libri* ejusque partium diligenter investiget; — III. *adjuncta* (personae scribentis, objecti, temporis, etc.) serio perpendat, et *loca parallela* consulat. » *Herm. Sacra*, Cp. V, sect. II, § X.

VII. Denique quaestio nostra, sicut ex dictis planum est, non est *dogmatica* (non enim versatur circa existentiam peccati Protoparentum, ejusque funestissimas consequentias in omnes Adae posteros unacum ipso originali peccato ex eo derivatas, pluriesque ab Ecclesia solemniter definitas, et quibus contraire haereticum foret); multoque minus est *moralis quaestio;* sed tantum *exegetica;* et quidem, non universalis super prioribus tribus Capitibus Genesis, sed *particularis*, immo, si ita loqui fas est, *particularissima*, cum tantum respiciat *interpretationem* illius peculiaris legis Protoparentibus, ad eorum experiendam fidelitatem et religionem, a Deo datae, atque ab ipsis, agente et instigante serpente, infeliciter violatae, scilicet: « *De ligno scientiae boni et mali ne comedas* » et « *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae. — Qui dixit ad mulierem:* etc. »: circa quorum interpretationem nulla (sicut ex infra dicendis melius patebit) solemnis Ecclesiae definitio existit, vi cujus opinio nostra, etiamsi videatur audax, haereseos nota *a priori* configi queat. (1)

---

(1) Hoc circa characterem quaestionis nostrae caute praenotandum duximus, ne nobis objiciatur decretum *Concilii Vaticani*, quod, confirmans quae circa interpretationem S. Scripturae jam statuerat *Conc. Tridentinum* (Sess. IV), sic sonat: « Quoniam quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius esse mentem declaramus, ut *in rebus fidei et morum* ad aedificationem populi christiani pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam *contra unanimem consensum Patrum* ipsam Scripturam Sacram interpretari. » *Sess.* III c. 2, Evidens enim est, *Concilium Vaticanum* loqui de unanimi consensu Patrum *in iis tantum quae fidem moresque respiciunt.* Unde Vincentius Lirinensis, postquam statuerat in Ecclesia Catholica summopere tenendum esse « *quod ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum est », subjungit: « Quae tamen antiqua SS. Patrum consensio *non*

Hisce claritatis gratia praestitutis, quaerimus: Quale fuit, *formaliter* consideratum, peccatum a Protoparentibus in terrestri paradiso, instigante serpente, commissum? Fuitne revera peccatum *superbiae* simul et *gulae?* an potius peccatum *superbiae* et *luxuriae?* ... Seu, quod idem est: Lex illa Genesis Protoparentibus tradita: *De ligno scientiae boni et mali ne comedas,* sicut ea quae *de serpente* eadem Genesis refert, suntne accipienda sensu litterali *proprio*, an *improprio* seu *metaphorico?* En synthesis totius controversiae.

---

in omnibus legis quaestiunculis, sed solum certe praecipue in fidei regula magno nobis studio et investiganda est, et sequenda. » *Commonitor*. T. 1 C. 38. col. 675.

« Il consenso dei Padri, ita Vigouroux, dev' essere unanime per essere decisivo, e la loro autorità ha forza solo *nei punti di fede e di morale.* » *Mná. Bibl.*, c. IV. 174. — Cf. *Hurter,* Theol. dogm. gener., tract. II n. 136.

VI.

SCRIPTORES ET INTERPRETES QUI HAC SUPER RE A SENSU LITTERALI PROPRIO RECEDENDUM PUTARUNT.

Antequam propositae quaestioni responsum praebeamus, abs re non erit, integritati tractationis consulere volentes, breviter innuere, quinam sint qui hac super re, seu in iis quae nostram quaestionem respiciunt, a sensu *litterali proprio* narrationis mosaicae recedendum putarunt. Diximus: *hac super re;* nam ad hoc unice restringitur recensio nostra.

Missis hodiernis *rationalistis,* qui omnia — praesertim supernaturalia — quae in S. Scripturis continentur, speciatim vero quae historiam mosaicam primorum Parentum respiciunt, *mythice* exponenda esse pertendunt (1), praecipui sunt sequentes:

I. Inter *veteres (a)* primo venit *Philo* et multi alii hebraei ex ejus schola, quorum meminit Origenes nec-

(1) Cf. *Cornely S. J.*, Comp. Introductionis in U. T. Libros, dissert. VII. Cp. V.

non S. Augustinus (1); *(b)* S. Iustinus M. (2); *(c)* Origenes (3) ejusque discipuli qui Alexandriae praesertim floruere, et contra quos scripsit Augustinus « De Genesi ad litteram »; *(d)* S. Cyrillus Alexandrinus, Origenis et scholae alexandrinae sectator (4); *(e)* S. Zeno, episcopus Veronensis (vel qui est auctor *Sermonum* ejus sub nomine vulgatorum). (5)

II. Inter *recentes* vero *(a)* saec. XV Dionysius Carthusianus (6), et praesertim *(b)* saec. XVI Card. Cajetanus O. P., commentator Doctoris Angelici (7); *(c)* saec. XVII inter Protestantes Hugo Grotius. (8)

Ipsi autem diversimode propriam sententiam exponunt. Nam, quin loquamur de S. Justino M., qui ait « diabolum a Moyse serpentem nominari », (9) Philo et Origenes, hujusque discipuli, generatim stant pro sensu simpliciter *allegorico* seu *spirituali*. Sic Philo e. g. docuit Protoparentum peccatum fuisse *copulam carnalem*, et serpentem *symbolum voluptatis* (10); sicut S. Cyrillus, diabolum Hevam tentasse sub forma quidem serpentis, ast non realis, sed *apparentis* tantum (11).

---

(1) *De Gen.* ad litt., lib. VIII, Cp. I, n. 1; *De Civ. Dei*, l. XIII.

(2) *Dial cum Tryphone*, n. 103. — Cf. P. Lottini O. P., Theol. Dogm. (1902).

(3) *Contra Celsum*, tom. XI, Cp. 4, n. 39.

(4) *Lib. III Adv. Julianum:* cf. *Cornely*, op. cit., Cp. 4 n. 192.

(5) *Magna Biblioth.* veterum Patrum, V. II.

(6) *Comm. in universos Script. S. libros,* in Genesim (Coloniae 1553).

(7) *Comment.*, tom. I.

(8) *Annotationes* in V. et N. Test. — Is docuit, non secus ac S. Zeno, praeceptum divinum Protoparentibus datum fuisse prohibitionem actus conjugalis.

(9) *Loco citato.*

(10) « Itaque illum mulieris insidiatorem serpentem, voluptatem esse dicimus, repentem sinuosis orbibus, ad sola terrena pronam, etc. » : *Philo*, De Agricoltura, sub fine (vol. I edit. Maugey). Cf. etiam *Hurter*, Theol. Dogm. vol. II tract. VI p. II Cp. 4 a. 1, in nota.

(11) *Loco citato.* — Idipsum sentit *Eugubinus* in Cosmopeia.

Cajetanus autem, saltem verbis, stat pro *sensu tantum metaphorico,* ideoque, vi verborum seu principiorum, ipse non videtur negare veritatem historicam circa Protoparentum lapsum in narratione mosaica. En ejus verba, simulque ratio ob quam ab interpretatione *stricte litterali* Geneseos sibi recedendum duxit: « Sunt autem, scribit, sensus isti *metaphorici* (non allegorici, ut ponebant Philo et Origenes) non solum sobrii secundum Sacram Scripturam, sed non parum utiles christianae fidei professioni, praecipue coram sapientibus mundi hujus; percipientes enim quod haec *(quae de serpente et similia)* non ut littera sonat, sed metaphorice dicta intelligimus, non horrent tamquam fabellas, sed venerantur mysteria, et facilius ea quae sunt fidei amplectuntur. » (1)

Diximus: *saltem verbis;* nam eum in sensu metaphorico applicando ultra, quam par est, processisse, atque in multis origenianas allegorias renovasse, nemo negat. Sic, inter alia, per serpentem ipse non intelligit nisi interiorem suggestionem Hevae, qua « diabolus serpere venenosa cogitatione incepit. » (2)

III. Denique inter *recentiores* numerantur *a)* Eccell. Dom. *Freppel,* necnon; *b) Guénée,* qui sententiam Origenis et Cajetani, etsi minime approbent, non om-

---

(1) *Comm.* tom. I. pag. 25.

(2) *Ibidem.* — Nihilominus nimis categoricum nobis videtur judicium, quod de Cajetano hac super re tradit clar. Vigouroux scribens: « Il carattere storico del racconto della caduta fu messo in dubbio fino dai primi secoli del Cristianesimo. ed oggi più che mai (dai razionalisti). La scuola di Alessandria, e in particolare Origene, non videro in esso che un' allegoria; lo stesso fece nel secolo XVI il cardinal Gaetano » (loco cit.). Nam sensus *metaphoricus*, quem sequi Cajetanus fatetur, ad litteralem (ut diximus n. V), cujus species est, et ideo *per se* ad *historicum*, pertinet.

nino damnant; (1) *c) Lacordaire,* qui « putat ridiculum esse narrationem lapsus hominis interpretari sensu *proprio*, et non *allegorico;* » (2) *d)* celeb. *G. Ugdulena*, Prof. Hermeneuticae Sacrae in R. Universitate Panormitana, qui, quamvis in suis commentariis sensui litterali proprio sedulo insistat, serpentem Genesis praefert accipiendum esse *metaphorice,* id est, pro *ipso diabolo*, eo quod haec interpretatio, subjungit, « non è punto contraria alla fede, lasciando intero il domma della colpa originale, nè i teologi che preferiscono l' interpretazione letterale sono arditi di condannarla; anzi è fondata sulla Scrittura medesima che chiama il diavolo assolutamente *serpente,* e preclude la via alle calunnie degli increduli, i quali vanno ancora ripetendo i sarcasmi dell' Imperatore Giuliano (3) »; *e)* clar. A. Stop-

---

(1) « Certissimamente, prior scribit, Origene non eccedeva nel suo diritto, cercando di spiegare in senso allegorico il racconto della Genesi, riguardante la formazione della donna e la parte del serpente tentatore... L'opinione d' Origene ripresa più tardi (in parte) dal Gaetano, per ardita che avesse potuto parere, è rimasta nondimeno al coperto di tutte le censure ecclesiastiche. Se quindi l' Autore del Trattato contro Celso restringeva il suo sistema di difesa ai primi capi della Genesi, i quali sono infatti pieni di misteri, noi non avremmo *gran rimprovero da rivorgergli.* « Origène, tom. II lect. XXXI.

Alter vero haec habet: « Tutte queste ragioni (del Gaetano) non impedirono che alcuni teologi, prendendo forse a mal proposito l' allarme, scrivessero contro tale spiegazione, *sfuggita non pertanto alla censura*, nonostante i loro sforzi. » *Lettres des Juifs* — Petit Comm., tom. II pag. 128.

Cf. *Vigouroux*, Man. Bibl., vol. I, c. 3, a. 1. § 291, in nota.

(2) Ita *Ephemeris* « Divus Thomas » (Piacenza 1901) pag. 314. — Cf. etiam P. Lottini, opere citato.

(3) *La Sacra Scrittura in Volgare* ecc., vol. I in cap. III Gen.: Palermo, 1849. — Clar. Vigouroux de hoc opere Ugdulena (Vol. I, 1859, Vol. II, 1867) hoc judicium profert: « Gregorio Ugdulena (1815-1871), prete termitano, professore d' ebraico e di sacra ermeneutica nella R. Università di Palermo dopo il 1843, (è) autore d' un volgarizzamento nuovo delle Sante Scritture, assai superiore a quello del Martini; colla differenza sovratutto che, dove quest' ultimo tradusse dalla *Vulgata*, l' Ugdulena si rivolse all' ebraica fonte.

PANI, qui pariter serpentem tentationis *metaphorice* seu ut symbolum diaboli sumit (1), quemque *humana sub specie*, potius quam sub illa serpentis, Hevae apparuisse opinatur (2); *f)* potissime vero R. P. LAGRANGE O. P. (et nonnulli alii), qui systema Cajetani novo eruditionis apparatu novaque forma digestum instaurare aggressus est (3).

Omnibus autem hisce ex diversis opinationibus, duo, ni fallimur, probe notatu digna emergunt:

I° Difficultatem interpretandi *stricte ad litteram omnia* (et singula) quae lapsum primorum Parentum attinent, cultores S. Scripturae quovis aevo plus minusve senserunt.

II° A tali sensu recedere *in aliquibus* dumtaxat *secundariis adjunctis*, et *salvo semper infallibili Ecclesiae judicio* et *authentico*, esto sit valde periculosum, nemo studiosus catholicus simpliciter prohibetur.

Sventuratamente non potè andare oltre i libri storici. Dico: *sventuratamente*, perchè mentre la versione è condotta con vero gusto classico, il commento che l' accompagna, tutto d' indole italiana, più inteso a chiarire *il senso letterale* che *l' allegorico* e *il mistico*, è tale che le nazioni straniere ben potrebbero invidiarlo all' Italia. » *Man. Bib.*, vol. I cap. 3, a. 2, pag. 313. (S. Pier d' Arena, 1901).

(1) « Secondo me non si tratta d' un serpente vivo e vero, di cui il demonio abbia invaso il corpo... È lo stesso demonio che quì è indicato sotto il simbolo del serpente. « L' *Exem.*, II, Frammenti, pag. 644.

(2) *Ibidem*.

(3) *Deux Dissertations*, publiées dans la « *Revue Biblique* », ann. 1896-97.

VII.

OPINIO AUCTORIS EXPONITUR ET DEMONSTRATUR

Cum quaestio quam nobis solvendam proposuimus sit, ut ex dictis patet, complexa, in duas partes ipsa commode distribui posset. Ast quoniam tentatio serpentis, etsi cum peccato Protoparentum historice connexa, proprie non constituit partem seu elementum intrinsecum peccati ab ipsis patrati, sed potius, ut diximus, est circumstantia ejusdem; ideo, unitati tractationis consulere volentes, propositae quaestioni *unica propositione* respondemus, ea quae serpentem respiciunt in Appendice exhibituri.

Propositio: Perpensis omnibus adjunctis narrationis Mosaicae de lapsu protoparentum, ea quae Genesis refert de ligno seu fructu vetito, nobis videntur translate seu metaphorice esse accipienda; — ita quidem, ut lex probationis a Deo ipsis imposita fuerit continentia seu abstinentia temporalis ab actu maritali; — transgressio vero sive peccatum protoparentum fuit peccatum superbiae simul et luxuriae.

Declaratio propositionis. — Dicimus *(a) Perpensis omnibus adjunctis,* attentis scilicet circumstantiis, effectibus et poenis peccati, ut supra de regulis inter-

pretationis dictum est (1); *(b) ea quae Genesis refert de ligno seu fructu vetito*, quia ad hoc restringitur praesens propositio, iis quae serpentem ejusque tentationem respiciunt ad *Appendicem* remissis; *(c) nobis videntur*, quia, ut notavimus, *inquirendo dicimus*, sed idem absolute asserere nec audemus nec volumus; *(d) translate seu metaphorice esse intelligenda*, per simplicem negationem sensus litteralis *proprii*, non vero sensus *litteralis in genere*, quasi nempe ipsa non contineant nisi simplicem allegoriam vel *mythum*, ut falso pertendunt hodierni rationalistae, praesertim Germani, duce D. Strauss (2); *(e) ita quidem, ut lex probationis* etc.: quae verba determinant *qualis sit* sensus metaphoricus secundum quem praedicta verba Genesis intelligenda esse ducimus; *f) transgressio vero sive peccatum Protoparentum fuit peccatum superbiae simul et luxuriae:* quatenus nempe superbia fuerit motivum *principale* peccati, luxuria autem *secundarium;* et quidem peccatum *luxuriae*, (de superbia enim nulla controversia existit) sive incontinentiae maritalis *in se;* nam *quo modo* ex parte serpentis tentatoris id acciderit, in secunda propositione *Appendicis* dicemus.

I.° Argumenta ex Contextu necnon ex adiunctis narrationis mosaicae

Argumenta — Probatur I pars, nempe ea quae *de ligno vetito* habet Genesis, accipienda esse *sensu metaphorico.*

Haec prima pars vix quidem probatione indiget: est enim corollarium eorum quae superius in praenotationibus diximus. Nam verba illa prohibitiva Gene-

---

(1) Cf. *II Notam*, pag. 28.

(2) Cf. Vigouroux, Man. Bibl., v. I c. 6, a. 2 § 224.

sis: « *De ligno scientiae boni et mali ne comedas* », aliquem sensum litteralem profecto habere debent. Atqui sensu litterali *proprio* ipsa accipi nequeunt, quia eo admisso deest *unitas* et *consonantia* in narratione mosaica, seu quia ipse, ut ex dictis constat et ex dicendis melius patebit, est insufficiens ad explicandas praecipuas *circumstantias, effectus* et *poenas* ex comestione talis fructus in Protoparentes derivatas. Ergo.

Prob. II PARS, nempe praedicta verba esse intelligenda *de lege continentiae* seu *de abstinentia ab actu conjugali* (ad tempus).

Cum hac in altera parte propositionis situs sit cardo praecipuus controversiae, in ea demonstranda, seu melius probanda, aliquantulum fusius immorabimur. — Duo interim praenotamus.

I. Equidem fatemur enuntiatam continentiae legem expresse, seu totidem verbis, in Genesi haud contineri; ast simul fateri cogimur ipsam convenientissimam fuisse

(a) Deo. Deus enim ipsa puritas et sanctitas est, quae in cunctis actibus et operibus ejus, sive *ad intra* sive *ad extra*, quam maxime refulgent. Sic Pater est virginitas infinite fecunda, quia, absque ulla sui immutatione, Verbum sibi aequale et consubstantiale aeternaliter generat, *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero* (1); Verbum, aeterna sapientia Patris et *splendor gloriae ejus* (2), simplicissimo motu voluntatis suae mundum hominemque producit; atque per Virginem Matrem immaculate conceptam, aeternus Amor, seu Spiritus Sanctus, dat nobis miraculorum omnium maximum, Christum Iesum, Deum hominemque simul.

---

(1) *Symbolum* Nicaeno-Constantinopolitanum.

(2) S. PAULUS, ad Hebr. I 1.

Cum igitur homo factus esset *ad imaginem et similitudinem Dei,* ipse Deo assimilari debebat non solum in esse seu natura, verum etiam (quantum ejus conditio patiebatur) in actibus seu operationibus suis; quos inter procul dubio eminebat reproductio sine fine suipsius, seu *actus generationis*: nam maxima perfectio entis est posse aliud sibi simile producere (1). Imponere ergo Protoparentibus ut ab hoc tam excellenti actu, in protestationem propriae obedientiae et religiositatis erga Deum, pro certo tempore abstinerent, convenientissimum nobis videtur tum infinitae sapientiae, cum sanctitati Dei; siquidem, ut certa Doctorum sententia est, experimento superato, prolem absque inordinata concupiscentia ipsi mundo intulissent (2).

(b) Protoparentibus: ut ostenderetur *totalis* eorum dependentia a Deo, non solum quantum ad esse, sed et *quoad virtutem alios procreandi;* quia per illam legem, non solum seipsos, sed *universum futurum humanum genus* ex eis nasciturum omnipotentiae divinae subjiciebant: quod profecto dici nequit de lege illa « *Ne comedas* » sensu proprio accepta, quae praeceptum potius personale, afficiens tantum personas, et non Protoparentes *qua tales*, exhibet, et quae consona potius videtur puerili aetati, quam statui perfectionis, in quo Adam et Heva a Deo creati fuerunt.

II. Fatemur etiam primum conceptum qui menti occurrit legentis verba *Capitis II* Genesis, ubi *lignum scientiae boni et mali* ponitur immediate post *arborem*

---

(1) Cf. S. Thomas, p. I, q. 78, a. 2; Contra Gentiles. L. III. C. XX. e LXX, necnon *Nuntius Signoriello* — Compendium Philosophiae Christianae — V. I. *Dynamilogia*, Cp. III. a. II. (Ed. octava, Neapoli 1888).

(2) Cf. S. Thomas, P. I, q. 100, a. 1 et 2. — S. Bonaventura, Sent. II, dist. XX a. I q. 3 et 4.

vitae in medio paradiso (giardino) virescentem, esse de planta vera, physica, reali. Ast si *totus contextus* unacum potioribus circumstantiis, necnon cum iis quae *III Capite* narrantur, sedulo consideretur, facile patebit praedictam continentiae legem, sub similitudine ligni seu fructus vetiti, *sufficienter insinuari.* — Eam siquidem insinuat

1) *Contextus.* — *a)* Re sane vera, Protoparentes a Deo creatos fuisse in statu perfecto, altaque sapientia supernaturaliter adornatos, non modo omnes Doctores docent, sed ex ipsa Genesi apertissime constat. Id patet, inter alia, ex nominibus quae, jussu Dei, Adam imposuit cunctis animantibus terrae et volucribus coeli, et quidem exprimentibus adamussim eorum naturam; nam ait Moyses: « *Omne quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus* » (1).

Jam si Adam (et idem dicito proportionaliter de Heva) entium sibi inferiorum naturam apprime cognoscebat, *a fortiori* eum cognovisse semetipsum, suas facultates, organa et correlativas actiones et functiones dici debet. Eccur igitur Moyses, postquam dixit de Protoparentibus (Cp. I): « *masculum et feminam* » (Deus) creavit eos, atque Deum benedixisse illis dicendo: « *Crescite et multiplicamini* », et (Cp. II) addidit: « *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* »: eccur, inquam, narrationem suam ita claudit, ut tantum dicat nobis: « *Erat uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant* » ?!... Eccur, post praedictas circumstantias, quae omnes directe respiciunt institutionem divinam primi matrimonii, ipse non adjungit, Adamum, utpote de naturis et finibus rerum alta sapientia imbutum, ibi *cognovisse* uxorem suam Hevam, et illic

---

(1) *Gen.* II, 19.

praecise, in horto deliciarum, impletum esse illud: « *Erunt duo in carne una* » ? Quaenam ratio hujus abstinentiae in Primis Parentibus ab actu conjugali assignari potest? Nobis nulla alia videtur quam *lex continentiae temporalis* a Deo ipsis imposita, expressa metaphoricis illis verbis: « *De ligno* etc. *ne comedas* », quae lex futuris *sponsalibus christianis* praeludere debebat: sese invicem diligere, *minime vero tangere* (maritaliter), donec veniam obtinerent a Domino (1). En lex probationis priscis Parentibus data (2).

— Neque dicas huic nostrae interpretationi opponi divinum praeceptum Genesis (I, 28): « *Crescite et multiplicamini* ». — Nam cum agatur de continentia, non perpetua, sed *temporali tantum*, hypothesis nostra optime cum dicto praecepto consistere potest. Adde, cum *Caput I* Geneseos, juxta omnes interpretes et doctores, nil aliud contineat quam scenographiam generalem

---

(1) Ad majorem argumenti et hypothesis nostrae illustrationem, iuvabit hic referre quae narrat S. Scriptura de matrimonio Tobiae.

Postquam Raphael angelus dixerat Tobiae (timenti Saram Raguelis filiam sibi in uxorem ducere, eo quod audierat daemonem occidisse septem viros, quibus ipsa tradita jam fuerat): « *Ostendam tibi qui sunt, quibus praevalere potest daemonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem daemonium super eos* »; subjungit: « *Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum,* PER TRES DIES CONTINENS ESTO AB EA, *et nil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.* » TOB. VII, 16, ss.

Verba Raphaelis: « *Qui conjugium ita suscipiunt,* UT DEUM A SUA MENTE EXCLUDANT » si cum postremis: « TU AUTEM etc. » conferantur, abs re omnino non erit arbitrari, illa intelligenda esse de *violatione legis continentiae* a Deo in primo conjugio Paradisi permanenter institutae, atque in posteros per traditionem transfusae, cujus violatio causa fuit mortis septem priorum Sarae virorum, et cujus, consequenter, Raphaelis praeceptum non extitisset, nisi divina *recordatio* et *instauratio*.

(2) Difficultas, quod de ligno *prius* comedit Heva et *dein* Adam, solvetur infra in APPENDICE.

creationis primi hominis et primae mulieris (1), dici etiam posse praedicta verba potius *finem immediatum* et *naturalem* creationis maris et feminae, quam praeceptum exprimere; vel si praeceptum, ut cum Magistro Sententiarum opinantur Seraphicus et Angelicus, *praeceptum generale;* ulterius *tempus illo utendi* a Domino determinandum (2).

---

(1) Id eruitur, praeter alia, ex verbis quae praedictum versiculum immediate sequuntur, nempe « *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et* UNIVERSA LIGNA *quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint* VOBIS IN ESCAM. » Ibidem, v. 29.

(2) Optimum ducimus hic ex integro referre verba utriusque Doctoris, necnon Petri Lombardi, utpote quae et argumentationem et hypothesim nostram valde illustrant.

Ad quorum plenam intelligentiam sciendum est, Moysen dicere Adam cognovisse maritaliter Hevam solummodo *Cp. IV Genesis*, postquam scilicet ambo e terrestri paradiso ejecti fuerant. Ex quo Patres communiter inferunt, ipsos tempore quo illic commorati sunt *continenter vixisse*. « Da questo luogo, scribit Martini, i Padri ne inferiscono che Adamo ed Eva si mantennero vergini tutto il tempo che dimorarono nel paradiso terrestre. » *In subjecta materia.*

Jam Magister Sententiarum quaestionem instituit: « Cur in paradiso non coierunt? — Et respondet: « Quia, creata muliere, mox trangressio facta est et ejecti sunt de paradiso; vel quia *nondum Deus jusserat ut coirent*, et poterat divina expectari auctoritas ubi concupiscentia non angebat. » *Dist.* 20, cp. 2.

S. BONAVENTURA autem super littera Magistri hoc sibi proponit dubium: « Item quaeritur de hoc quod dicit (Magister): « *Deus nondum jusserat ut coirent.* » Hoc enim videtur esse falsum, quia dicitur Genesi I°: « *Crescite et multiplicamini, et replete terram* »; constat quod hoc dictum est quantum ad actum generativae; ergo, » Cui ita respondet: « Dicendum quod illud mandatum datum fuit viro et mulieri in statu innocentiae; sed cum esset mandatum affirmativum, non obligabat ad semper, sed pro loco et tempore. Determinatio autem temporis dependebat *a revelatione divinae voluntatis;* quam quia Deus eis nondum revelaverat, ideo dixit Magister quod *nondum jusserat.* » Sent. II, dist. 20.

Denique S. THOMAS eamdem difficultatem sibi proponens ita respondet: « Sicut AUGUSTINUS dicit 9° *super Gen. ad litt.* (cp. 4 in fine): ideo primi parentes in paradiso non coierunt, quia, formata muliere, post modicum propter peccatum de paradiso ejecti sunt; vel quia *expectabatur divina auctoritas ad determinandum tempus commixtionis*, a qua receperunt universale mandatum. » *Summa Theol.*, p. I, q. 98, a. 2, ad 2.

Ceterum, ipsamet phrasis Moysis: « *Erat uterque nudus et non erubescebant* », qua clauditur *Caput II* Genesis, si serio perpendatur, praedictam continentiae legem seu praeceptum sufficienter innuit.

Eccur, enim, de propria nuditate Adam et Heva non erubescebant? — *Quia innocentes erant* — reponunt communiter Doctores. Ast *in quo*, ulterius quaerimus, sita erat haec eorum innocentia? seu clarius: ipsa forsan efficiebat ut, instar infantium, propriarum aptitudinum naturalium cognitione carerent? Ast nonne in statu perfecto ambo creati fuere? . . . Haec igitur absentia erubescentiae in primis Parentibus respectu propriae nuditatis, ad quam specialiter refertur sacer textus, non aliter intelligi nec explicari potest, quam quatenus, etsi proprias naturales aptitudines optime ipsi noscerent, materialiter tamen, saltem per aliquod tempus, ut communiter opinantur Doctores (1), in terrestri paradiso sese minime cognoverunt, nullamque ob id inordinatam concupiscentiam, ex qua erubescerent, in seipsis senserunt. (2) Age porro: undenam, quaeso, in ipsis abstinentia haec ab actu tam naturali, tamque grandi, qui eos Protoparentes *effectivos* constiturus erat? . . . Certe, aut ab ipsorum electione, aut a praecepto divino. Atqui *non prius illud:* continentia enim conjugalis voluntaria, conjuncta cohabitationi, est res adeo sublimis, ut nonnisi in plenitudine legis gratiae, et quidem rarissime, occurrat. Ergo restat *secundum.*

b) Id ipsum, et quidem haud obscure, nobis insinuare videntur verba quae Moyses ponit in ore Domini, Adamo — qui propter obortam in eo nuditatis cognitio-

---

(1) Cf. superiorem *Notam*, pag, 42.

(2) In statu innocentiae « non erat aliqua turpitudo in corpore hominis, quae ad confusionem (et ideo ad se operiendum) induceret. « S. Thomas, 2-2, q. 164, a. 2, ad 8.

nem et erubescentiam, una cum uxore sese absconderat a facie eius deambulantis in paradiso — respondentis: *Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* (Gen. III.) Evidens enim est, hisce in verbis iustitui comparationem seu relationem causalitatis inter obortam in Protoparentibus nuditatis cognitionem et erubescentiam, et transgressionem legis sive praecepti divini ipsis impositi, adeo ut, huius transgressio fuerit praecise causa *directa* et *formalis* subsecutae in eis agnitionis nuditatis et erubescentiae. Constat autem, ex contextu, hanc nuditatem, una cum adnexa erubescentia, non spiritualem, sed physicam fuisse, atque pro obiecto habuisse Protoparentum verenda: nam ob id fecerunt sibi *perizomata* eadem occultantia.

Igitur *contextus* narrationis mosaicae praedictam continentiae legem seu praeceptum non obscure insinuat.

2) Eam insinuat *scopus* et *objectum* Genesis in primis tribus Capitibus, quibus est praecipue attendendum in judicando de valore historico et reali divini praecepti: *Ne comedas.*

Quinam est, enim, scopus Genesis (il libro *delle generazioni)* in praedictis Capitibus? Nonne demonstratio, sicut originis omnium entium a Deo per creationem, ita originis totius generis humani ab uno homine unaque muliere per generationem? Unde generatio totius humani generis ab Adam et Heva uxore sua, cum omnibus iis quae ad eamdem referuntur (ut *creatio duorum sexuum, fecunditas ipsis tributa, institutio* et *benedictio matrimonii*, hujus *indissolubilitas*, Protoparentum *nuditas* cum *absentia erubescentiae)* jure dici potest principale objectum *duorum priorum* Capitum Genesis, sicut et *tertii,* interjecta tamen, incidentis instar, actione perturbatrice serpentis. Nam in *tertio*, praemissa ten-

tatione serpentis, iterum iterumque sermo est de iis quae ad generationem pertinent, uti sunt *erubescentia nuditatis, cooperitio pudendorum, semen, multiplicatio aerumnarum* et *conceptuum, partus cum dolore.* Nostra igitur interpretatio, ut patet — et ex dicendis melius patebit — *scopo et objecto* principali primorum Capitum Geneseos apprime consonat; quod profecto de interpretatione *stricte* litterali dici nequit.

3) Eam insuper insinuat *terrestris paradisus*, in quo Protoparentes collocati fuerunt. Ipse enim, prout refert Genesis, erat locus omnium deliciarum et voluptatum. Omnes hominis facultates, omnesque sensus, et praesertim gustus, ibi propriis objectis copiose fruebantur ac delectabantur. Unus sensus, in quem humanitas maxime fertur, et quo ipsa jugiter maxime abutitur!... in descriptione paradisi reticetur; una voluptas in illo loco omnium deliciarum pleno deest: *voluptas carnis!*... Eccur? nisi lege divina « Ne comedas » seu temporalis continentiae praecepto?

4) Eam denique insinuat *ipsum lignum* seu *arbor*, sic dicta, *scientiae boni et mali.*

Omnibus namque in aperto est, vitam humanam per generationem diffundi atque multiplicari *instar arboris;* sicut enim ex trunco multiplices rami, ejusdem naturae ac truncus, prodeunt, sic ab homine per actum generativum filii in similitudinem naturae procreantur. Hinc penes omnes populos, sive antiquos sive recentes, *arbor genealogica* seu generationis unacum *stipite* (e il capostipite). Hinc illud Psalmistae: « *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae* » (1); hinc illud Isaiae de generatione Virginis: « *Egredietur virga*

---

(1) *Psalm.* 127, 4.

de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet » (1); necnon, ut de aliis similibus S. Scripturae locis sileam, illud Christi: « *Ego sum vitis, vos palmites* » (2). Omnia haec procul dubio ostendunt non omnino arbitrariam esse interpretationem metaphoricam, quam nos arbori Eden tribuimus. — « *De ligno* (seu arbore) *scientiae boni et mali ne comedas* » — idest, *ab actu generationis, usque dum dicam vobis, abstinete.* Ideo autem actus generationis appellatus est *arbor scientiae boni et mali*, quia, stante lege seu praecepto divino, ab eo pendebat experimentum omnis boni omnisque mali, seu felicitas vel infelicitas tum Protoparentum, cum totius generis humani ex iis nascituri. (3).

Dices: I. Constat ex Genesi II, 17, praeceptum illud: « *De ligno scientiae boni et mali ne comedas* » datum fuisse Adamo, antequam Heva ex costa ejus formaretur. Ergo interpretatio metaphorica horum verborum *pro lege temporalis continentiae* non solum omni fundamento caret, sed absurda est.

II. Verba « *De ligno . . . ne comedas* » evidens est continere prohibitionem *absolutam;* haec autem excludit ipsa explicari posse de praecepto abstinendi *ad tempus* ab actu conjugali.

---

(1) *Cp. XI* v. 1. — « Il grande albero, ita commentatur haec verba clar. Martini, e la selva grande dell' impero Assiro sarà estirpata dalle radici, come ha detto il Profeta alla fine del capo precedente; ma l' albero dei Giudei e la pianta della stirpe reale, benchè offesa sovente dai nemici col ferro e col fuoco, e spogliata in gran parte dell' onore dei suoi rami e delle sue frondi, viverà nondimeno nel suo tronco e nella radice, da cui spunterà *un pollone* e *un fiore*, di cui la gloria sarà eterna. Questo pollone e questa verga ella è la *Vergine;* il fiore egli è *Cristo;* la radice ell' è la famiglia di David ». *In subjecta materia.*

(2) Joan. XV, 5.

(3) Cf. S. Augustinus, *De Gen. ad litt.* l. VIII, c. 6, n. 12; Theodoretus, *Quaestiones super Genesim*, inter XXVI, XXVII, (apud Vigouroux, Man. Bibl., vol. I. Il Pentat., c. 3, a. 1, n. 289).

III. Sensus metaphoricus, ut verus sit, supponit, ut diximus (pag. 27, IV), aliquam *similitudinem* sive *analogiam* inter rem significatam per nomen, et subjectum cui tale nomen tribuitur. Inter *comestionem* autem *ligni* seu *fructus vetiti,* et *cognitionem*, sive *actum*, *conjugalem* nulla existit analogia. Ergo interpretatio nostra metaphorica prorsus arbitraria est.

a) Responsio ad 1^m^, quod subvertere nititur integram II partem nostrae propositionis, in promptu est: *Antecedens* enim aequivocatione laborat. Et sane, verissimum est praedicta verba a Moyse referri ante narrationem particularem formationis Hevae; eam enim Moyses exhibet praecise *Cap. II* Geneseos, v. 18 et seqq. Ast falsum omnino est ipsa dicta fuisse Adamo *antequam Heva exstaret;* ambo enim creati fuere *sexta die,* ut patet ex verbis Genesis (I, 27): « *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum et feminam creavit eos — Benedixitque illis* etc. ». Quod autem et Hevae talia verba dicta fuere, seu praeceptum illud a Deo datum fuit, luculentissime patet ex ejus responsione ad serpentem: « *De ligno quod est in medio paradisi praecepit nobis Deus ne comederemus* » (Gen. III, 3). — Si autem quaeras, cur ibi Moyses loquatur de solo Adam? quia, reponimus, cum in *II Cap.* Geneseos ipse describendam sumpserit formationem particularem utriusque Protoparentis, et ibi describat formationem *specialem Adami*, et non Hevae, ordo seu cohaerentia narrationis id exigebat (1). Ex citatis igitur Genesis verbis nihil contra nostram propositionem concludi posse nobis videtur; sicut non potest concludi Hevam unacum Adamo creatam non fuisse sexta die, eo quod

---

(1) Alia etiam ratio afferri potest, quia, ut ait Apostolus, « *Caput mulieris vir* » (I Cor. XI, 3); ordinationes autem a legislatore ordinarie dantur (et sufficit) capiti, et non singulis familiae membris.

in eodem *Cap. II* legitur dixisse Dominum: « *Non est bonum esse hominem solum* », et: « *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus* » (1).

b) Ad II^{m}, quod sane grave est, reponimus distinguendo *Minorem* propositionem: excludit, *si in se*, seu si seorsim consideretur, *Conc.; si comparative*, seu unacum aliis narrationis Mosaicae, *Neg. min.* — Certe verba illa, prout sonant, prohibitionem absolutam seu *nullo tempore* restrictam continent; ast inde excludi absolute interpretationem nostram de praecepto abstinendi *ad tempus* etc., si ipsa comparative spectentur, non constat, vel saltem id non constare nobis videtur. Quemadmodum eim praeceptum illud: « *Crescite et multiplicamini* » a Deo Protoparentibus datum, etsi in se absolutum seu nullo tempore restrictum, SS. Patres et Doctores interpretantur, ut paulo ante vidimus (pag. 42 in Nota), *cum restrictione*, adeo ut, ejus forma absoluta non obstante, docere communiter potuerint, Protoparentes in terrestri paradiso, ante fructus comestionem, minime coivisse, « quia determinatio temporis dependebat a revelatione divinae voluntatis, quam Deus nondum revelaverat »; sic et in proposito, praedicta verba « *Ne comedas* » nobis non videntur *excludere absolute* interpretationem nostram, esto argumentis apodicticis non probatam. Ceterum, si argumentis apodicticis ipsa demonstrari posset, non amplius *hypothesis*, sed *thesis* foret; et insuper, praeter allata argumenta, attendenda sunt ea quae infra in probationem III partis propositionis afferrentur.

---

(1) « Mosè viene adesso (ita clar. Martini super verba: *Non est bonum esse hominem solum*) per una maniera di recapitolazione ad esporre *più diffusamente* quello che avea solamente accennato nel capo I, v. 27. Imperocchè nissuno dee dubitare ch' Eva fosse creata, come Adamo, nel sesto giorno, dicendo ivi Mosè: « *Li creò maschio e femmina* ».

c) Ad III^m quod attinet, negamus *Minorem*. Nam inter comedere fructum, esto quidem pulchrum oculis aspectuque delectabile, et coitum humanum non adesse analogiam *proximam* et *stricte sumptam,* lubenter concedimus; *nullam*, idest *nec remotam* et *lato sensu* acceptam adesse, asseri nequit. Siquidem ambo actus conveniunt in hoc, quod uterque annexam habet voluptatem seu delectationem sensibilem; unde *comedere* fructum et *gustare* fructum synonima sunt; et sicut optime dicimus aliquem *gustare* coenam, ita recte dicitur *gustari* id quod ad coitum refertur. Plures hac super re afferri possent populares locutiones nostram assertionem confirmantes; a quibus tamen referendis, ne castus lectoris animus offendatnr, libenter supersedemus.

Ceterum, haec *II pars* propositionis melius patebit ex probatione *III partis*. Nam, cum peccatum sit libera divinae legis transgressio, hae duae partes sese mutuo penetrant et illustrant; et si ex narratione mosaica ostendere poterimus Protoparentum peccatum fuisse in genere luxuriae seu incontinentiam, etiam probationis legem ipsis impositam (praescindendo etiam ab allatis argumentis) exstitisse abstinentiam temporalem ab actu maritali fatendum erit. Hinc

Prob. III PARS propositionis, scilicet peccatum Protoparentum fuisse *in genere luxuriae* seu *incontinentiam maritalem*.

Declaratio — Valet etiam hic observatio quam supra in probanda *II parte* protulimus. Certe Moyses Protoparentes in paradiso voluptatis peccasse peccato carnali seu luxuriae, *directe et aperte* non dicit. Nec mirum! Nam

I. Cum ageretur, in hypothesi, de re valde probrosa et castis auribus adversa, non modo haud decebat, ut

Hagiographus illam expressis verbis narraret, sed valde congruum erat, ut illam, in se, metaphoricis verbis obtegeret. (1)

II. Dein, Moyses sua narratione nil aliud facit, quam resumit tunc vigentem *popularem traditionem*, quae profecto, sicut rivulus e fonte, nonnisi ab Adam et Heva originem duxit. Jam sciscitor: posito quod Adam et Heva peccato carnali seu incontinentiae contra divinum praeceptum deliquerint, tenebanturne et eratne *congruum*, ut ipsi proprias ignominias apertis expressisque verbis narrarent filiis suis? . . . Omnes scimus quot pia mendacia parentes propriis filiis condunt, quoties novellus flos domestico horto adjungitur, ut eis generationis et partus eventum mysterio tegant. Et agitur de re omnino licita! An fortasse ipse Deus fuit qui priscis Parentibus talem metaphoricam narrationem suggesserit? . . . Nos id opinamur, eoipso quod Deus, ut refert Moyses, « *fecit Adae et uxori ejus tunicas pelliceas et induit eos* » (2), ad *tegendam* nempe, ut notat Angelicus, et quidem (contra fragilitatem perizomatum) *stabiliter eorum ignominiam* ex peccato exortam. (3)

Ceterum, etsi Moyses directe et aperte id non dicat, *sufficienter innuit*, nostro quidem judicio, referendo *effectus et poenas* illius originalis peccati. Et revera, Protoparentum peccatum fuisse in genere luxuriae probant

---

(1) In hoc, ni fallimur, est fortasse quaerenda ratio, ob quam Patres et Doctores, referentes lapsum Protoparentum, sensui *litterali proprio* constanter adhaeserunt.

(2) *Gen.* III, 21.

(3) « Dicendum, scribit Aquinas, quod vestitus necessarius est homini secundum statum praesentis miseriae, (praesertim) ad tegumentum ignominiae, ne turpitudo membrorum appareat, in quibus praecipue manifestatur rebellio carnis ad spiritum. » 2-2, q. 164, a. 2.

1) *Effectus immediati peccati* in Protoparentibus secuti. Effectus enim, nedum existentiam, naturam causae revelat. Quinam autem fuerint effectus immediati in Protoparentibus secuti ex violatione divinae legis, ex dictis constat; fuerunt nempe subitanea *cognitio propriae nuditatis erubescentiae conjuncta,* necnon *operimentum organorum generationi inservientium;* brevius, *rebellio carnis ad spiritum;* nam ob id fecerunt sibi *perizomata.* Ergo legis violationem seu eorum peccatum fuisse in genere luxuriae, seu incontinentiam maritalem, concludi debet. Si secus foret, nulla amplius extaret unitas in narratione mosaica, nullaque proportio seu correspondentia inter effectum et causam. (1)

---

(1) Argumentum hoc, dummodo juxta hermeneuticae regulas *totus contextus* Genesis consideretur, non mediocrem vim nobis habere videtur. Re sane vera, sumantur verba quae Dominus dixit ad Adam post peccatum: « *Quis indicavit ubi quod nudus esses, nisi quia de ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* » Si postrema verba grammatice sumantur, neque nexus nec proportio amplius existit inter *antecedens* et *consequens*, inter peccatum gulae et effectus a Moyse ibi notatos.

At contra res se habet in hypothesi nostra. — « *Erat uterque nudus et non erubescebant* » : en *status innocentiae.* — « *De ligno ne comedas* », idest, maritaliter nolite vos tangere : *en probatio.* — « *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudus* etc. » : *en peccati effectus,* seu terribilis conclusio transgressionis legis divinae a Protoparentibus, contra propriam espectationem, infeliciter in ipsos deducta! . . . Amissa enim gratia et justitia originali, quae eorum corpora venustate et innocentia respergebat, statim viderunt, miseri! aliquid turpe et dedecoris in propriis membris et in actu, contra divinam voluntatem ab ipsis patrato, contineri; et ob id (dum, si stetissent, actus generationis iis apparuisset prorsus honestus et naturalis, sicut *actus edendi et bibendi*, (S. Thomas, I, q. 48 a. 2), de seipsis et coram se, et coram Deo erubuerunt, potius bruta quam Dei imagines sese perspicientes!

Hoc videtur innuisse clar. Calmet scribens : « Notat hic Moyses primos illos Parentes probro nequaquam duxisse nuditatem suam; cur tamen non exprimit. Tum addit, intelligere illos coepisse nudos esse se, statim post commissum crimen. Ex quo plane noscimus, crimen et criminis appendicem, concupiscentiam, in causa esse turbatae rerum oeconomiae, et carnis adversus spiritum rebellantis audaciae, ac tandem, quae inde sequitur, erubescientiae. » *(In Gen.*

2) Probant *poenae* Protoparentibus inflictae.

I. « De poena primorum Parentum, scribit Seraphicus, hoc est tenendum, videlicet, quod vir et mulier statim post culpam senserunt poenam rebellionis et erubescentiae in carne; et ideo ad cooperiendum verenda fecerunt sibi perizomata » (1). Atqui « poena, ait Angelicus, respondet culpae » (2).

II. Praeter hanc poenam, quae considerari potest ut effectus naturalis amissionis gratiae et justitiae originalis, aliae, juxta Genesim, Protoparentibus singillatim inflictae fuere. Atqui hae poenae, ut ex iis quae supra diximus in aperto est (praeter illam communem mortis), respiciunt praecise *officia paternitatis et maternitatis*, seu ea quae naturaliter consequuntur actum conjugalem, quaeque sunt, ex parte viri *sustentatio familiae ex labore et in sudore*, ex parte vero feminae *conceptio, gestatio et partus*, unacum iis quae hunc consequuntur (quatenus haec omnia sunt laboriosa). Ergo. — Si secus diceretur, Protoparentum poena non amplius responderet culpae, nec fini medicinali suo: nam « *per quae peccaverit quis, per haec torquetur.* » (3)

Argumentationem nostram videtur innuisse S. Augustinus in *Enchiridio*, ubi loquens de transfusione peccati originalis scribit: « . . . Ut quidquid prolis ex illo (Adam) et simul damnata, per quam peccaverat,

---

II, 25). — Et inferius: « Turbata passionum oeconomia, *carnis a spiritu defectio* pudorem in illos induxit de probo, nudosque se esse senserunt. » *(Ibidem,* III). — Nam si crimen et criminis appendix, concupiscentia, causa fuerunt in Protoparentibus *rebellionis carnis ad spiritum*, et *erubescentiae;* et si effectus sequitur naturam causae, conclusio (tametsi eam doctus commentator nedum suspiciat) nonnisi una esse potest: Protoparentum peccatum fuisse *in genere luxuriae*, seu incontinentiam maritalem.

(1) Brevil. p. III, c. 4.

(2) 2-2, q. 163, a. 4.

(3) *Sap.* XI, 17.

conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua *inobedientiae* POENA SIMILIS *retributa est,* nasceretur, traheret originale peccatum etc. » (1) Est idipsum principium Doctoris Angelici: « Poena respondet culpae. » (2)

Huic argumento robur, profecto, accedit ex Genesi III, 21: « *Deus fecit Adae et uxori ejus tunicas pelliceas et induit eos* (3) »; praesertim vero ex versiculo praecedenti: « *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium.* » Mira, sane, vis hujus versiculi post *longam illam terribilium poenarum seriem,* maternitatis officia praesertim respicientium, immediate positi! . . . Cum primo Deus adduxit mulierem ad Adam, hic exclamavit: « *Hoc nunc os ex ossibus meis . . . haec vocabitur* VIRAGO, *quoniam de viro sumpta est* » (4); quae appellatio definitionem primae mulieris profecto exhibet, ast inchoatam et imperfectam, utpote tantum *geneticam*, ut aiunt Logici, seu originis. Contra, hic, idest post lapsum, quasi nullimode territus de poenis sibi sociaeque suae a Deo irrogatis, uniceque sollicitus de nova qualitate, ex peccato ipsi derivata, definienda, Adam novo nomine eam appellat, eamque definit HEVAM (hebraice: *Hevah, Caffa*, idest *Vita)*, hanc adducens formalem rationem: « *eo quod mater esset cunctorum viventium* ». Jam undenam haec nova appellatio mulieris et formalis definitio? Clarius: Si « *omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus* » (Gen. II, 19), eccur hic, idest post lapsum, ipse

---

(1) TOM. III, cp. 25-6.

(2) Hinc nonnisi difficulter intelligi possunt quae de poenis mulieris scribit clar. MARTINI: « Gli incomodi della gravidanza e i dolori del parto sono insieme il gastigo del peccato della donna, e il mezzo onde Dio vuol purificarla. » *(In subjecta materia). — De quo?* quaeso, posito quod peccato gulae ipsa peccaverit? . . .

(3) Cf. *Supra* pag. 50, II.

(4) *Gen.* II, 23.

novo nomine uxorem suam *Hevam*, idest *matrem cunctorum viventium*, appellat, si NIHIL NOVI, et unde realiter ipsa *mater* constitueretur, in peccato patrando inter eos evenisset?

— Neque dicas propositioni nostrae aperte refragari ea quae Genesis habet *cp. IV*, quod Moyses ita exordiatur: « *Adam vero cognovit* (cognitione maritali) *Hevam, quae concepit et peperit Cain* »; ergo, cum haec dicantur postquam Protoparentes e terrestri paradiso ejecti fuere, antea seu in terrestri paradiso sese minime maritaliter cognoverunt.

Nam praedicta verba optime intelligi possunt *(a)* ut *fusior explicatio* eorum quae *cp. III* metaphorice tantum, in Protoparentum atque humanitatis commiserationem, Moyses narrat, sicut supra de *cp. II* respectu *I* dictum est. — Vel etiam *(b)*, ut *notificatio primi actus matrimonialis regulariter*, idest ex venia divina, *adimpleti*, sicut videntur indicare verba Hevae post natum (conceptum) Cain exclamantis: « *Possedi hominem per Deum* »; necnon ipsum verbum *cognoscere*, quod S. Scriptura constanter adhibet ad denotandum actum matrimonii regularem: ubi regularitas deest, ipsa utitur aliis phrasibus, e. g. *dormivit, accubuit*, etc. — Adde, quod *cognoscere* non importat praecise *violationem* mulieris; sicut patet de Elcana, qui, quamvis maritaliter viveret cum Anna uxore sua, filios tamen ex ea non suscepit, donec peregrinatus est in Silo, et de quo dicit Scriptura: « *Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam, et recordatus est ejus Dominus* » (1). Praedicta igitur Genesis verba, si antecedentia adjuncta sedulo perpendantur, quin hypothesim nostram excludere (quod scilicet Protoparentes in terrestri paradiso sese contra divinam voluntatem cognoverint, et ob id, sicut con-

(1) *I Reg.* I, 19.

ceptio, ita recensio actus conjugalis *irregulariter adimpleti* defuerit), eam potius nobis confimare videntur.

3) Probant denique *effectus in Adae posteros derivati.* Nam effectus sequitur naturam causae, eamque manifestat. Atqui juxta omnes Doctores et Theologos, inter effectus ex Protoparentum peccato in eorum posteros derivatos, praeter amissionem gratiae et mortem, praecipue recensetur inordinata concupiscentia, seu *rebellio carnis ad spiritum.* (1) Ergo Protoparentum peccatum fuisse in genere carnis, nempe incontinentiam, fateri cogimur. (2) — Hinc nullum sensum amplius habere nobis videntur hae similesque expressiones, quae in eis (penes Patres et Doctores) passim occurrunt: Per peccatum Adae humana natura fuit in suo fonte *vitiata, sauciata, infecta, corrupta,* si ad peccatum gulae referantur. (3)

Insuper: quaenam sunt praecipuae deordinationes seu *vitia* ex primaeva illa deordinatione seu peccato in humanum genus derivata, et quorum vi eadem Genesis dicit, quod « *sensus et cogitatio humani cordis*

---

(1) Cf. Hurter, Theol. Spec., tr. VI, sect. II, cp. 4, a. 4.

(2) Argumentum hoc, etiam hac sub altera forma, exhiberi potest. Theologi unanimiter docent, per Protoparentum peccatum intellectum in homine esse *obnubilatum,* atque ejus voluntatem ad bonum sensibile materiale, *ultra quam par est,* seu contra ordinem rationis, *inclinatam.* Atqui haec duo D. Angelicus et cum ipso Scholae adsribunt, tamquam effectum ad causam, luxuriae. « Quando inferiores potentiae, ita S. Doctor, vehementer afficiuntur ad sua objecta, consequens est quod superiores vires impediantur et deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriae maxime appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis et delectationis. Et ideo consequens est, quod *per luxuriam maxime superiores vires deordinantur,* scilicet *ratio et voluntas.* Unde Daniel III°: « *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* » 2-2, q. 153, a. 5. — Ergo.

(3) Cf. S. Augustinus, loco supra cit. pag. 53.

in malum proni sunt ab adolescentia sua » (1)? Nonne *superbia* et *luxuria*? Hae profecto, et praesertim luxuria, causae Diluvii (2), necnon ignis super Pentapolim; haec, scilicet *concupiscentia carnis*, ponitur prima a Joanne inter malignas concupiscentias mundi (3); haec duo vitia, *superbia* et *luxuria*, semper extiterunt et nunc quoque sunt, si ita loqui fas est, *fores maximae* per quas daemon miseram Hevae sobolem ad tartara nullo non tempore deduxit et deducit! Atqui quidquid est in effectu (qua tali) *a fortiori* reperiri debet in causa. Ergo prima deordinatio seu primum peccatum, ex quo ceu ex radice vitiata cetera promanant, fuit peccatum superbiae simul et luxuriae: *superbia in mente, luxuria in carne:* en Protoparentum peccatum. Ergo, perpensis omnibus adjunctis etc. (ut habet Propositio nostra supra, pag. 36).

Totam nostram propositionem complexus est S. Zeno episc. Veronensis hisce paucis: « Adam CUM HOC MEMBRO *illicitum pomum decerpit:* sic in genus humanum

---

(1) VIII, 21.

(2) Id non obscure innuit, quoad superbiam, Genesis, *VII*, 4: « *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*, idest, ut notat clar. C. A. Lapide (in subjecta materia), homines « magna statura praediti, praepotentes et violentissimi. — « Mosè, ita MARTINI, descrivendo la cagione del Diluvio, racconta che da' matrimoni delle figliole di Dio (idest di Seth) coi figlioli degli uomini (idest di Cain) ne nacque una razza di uomini di gran corpo e statura e robusti, senza freno di religione, pieni di ferocia e di genio a mal fare » *(In subjecta materia)*. — Quoad luxuriam vero, v. 3 praecedens habet: *Dixitque Deus: non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* » Quae super verba ita pergit citatus MARTINI: « Dio giustamente adirato contro degli uomini, dice che non conserverà ancora ad essi la vita per lungo tratto di tempo, perchè ei son divenuti *tutti carnali*, vale a dire, vivono come se non fossero altro che carne, e non ad altro pensar dovessero che a soddisfare la carne. » *(Ibidem)*.

(3) « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, . . . oculorum, et superbia vitae. » I° JOAN. II, 16.

jus mortis (cum reliquis funestissimis consectariis) induxit. » (1)

Objicies: in Genesi II° instituitur comparatio inter lignum vetitum et alia ligna paradisi; ibi enim legitur Deum dixisse Adae: « *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas*, etc. »; ulterius *cp. III°* legimus Hevam respondisse serpenti: « *De fructu lignorum quae sunt in paradiso vescimur; de fructu vero ligni quod est in medio paradisi* etc. »; ergo aut omnia ligna paradisi accipienda sunt sensu metaphorico, aut nullum.

Resp. I. Praedicta verba non destruunt argumenta quae in probationem nostrae propositionis hucusque adduximus, et quae inferius adducemus; sed tantum ostendunt quod contra eam adsunt difficultates, quas inter fortasse haec est praecipua.

Resp. II. Dici potest comparationem illam apposite inductam fuisse ad velandum, in hypothesi, turpem lapsum Protoparentum; quia finis principalis hagiographi erat ostendere eos, in tanta fruitione bonorum constitutos, graviter deliquisse non obtemperando uni praecepto divino, non vero *modum defectionis*, quem, posito quod ipse fuerit in genere luxuriae, nedum aperte non describere, tali comparatione obtegere, congruebat.

---

(1) *Serm.* de Circumcisione, *In Magna Biblioth.* Veterum Patrum, Vol. II: Parisiis MDCLIV. — Haec S. Zenonis assertio non mediocrem vim in favorem nostrae hypothesis nobis continere videtur. Cum enim praedicta verba, non in aliquo tractatu theologico, sed in sermone coram populo ab ipso habito reperiantur, non illius solum auctoritatem repraesentant, sed auctoritati plurium aequivalent. — Et esto quidem, *Sermones*, qui sub S. Zenonis nomine proferuntur, *ex parte*, ut nonnulli jure opinantur (cf. Nat, Alexandr., tom. III, saec. III, cp. 4 a. 8) *sint suppositi*, verba tamen a nobis allata documenti ihstorici, et quidem publici, semper valorem retinent.

Resp. III. Si quis sensu metaphorico acciperet praedicta verba, *sic:* non quasi ligna paradisi non fuerint verae plantae, sed quatenus per illa verba Spiritus Sanctus voluerit tantum exprimere *maximam libertatem* Protoparentibus concessam (una re excepta); non video quid absurditatis in substantiam narrationis mosaicae haec explicatio induceret; siquidem, alia sunt in cp. II° et III° Geneseos, e. g. *plantatio ipsius paradisi, deambulatio Domini in medio paradisi, semen serpentis,* ipsius *capitis contritio, flammeus gladius* Cherubim, et similia, quae ad litteram seu grammatice accipi nequeunt, nec generatim a Patribus et Doctoribus grammatice accipiuntur. (1)

Resp. IV. *Dist. antec.:* instituitur comparatio *aliqua,* exprimens maximam libertatem a Deo Protoparentibus concessam, *Conc.* (2); *absoluta* et *stricta,* exprimens libertatem et simul materiam ejusdem, *Nego antec.* — *Nego conseq.* — Praedictam comparationem non esse absolute et stricte accipiendam rationes hucusque allatae sat nobis ostendere videntur.

II.° Argumenta aliunde deprompta

Ceterum, praeter argumenta *ex contextu* et *ex adjunctis narrationis mosaicae* hucusque allata, alia non desunt argumenta quibus propositio nostra, praesertim quoad *II* et *III partem,* confirmari illustrarique potest. Et, ut dicamus quod modeste sentimus,

I Argumentum confirmativum nobis suppeditare videtur *locus parallelus* Cantici Canticorum, et praecise

---

(1) Quoad gladium fllammeum cf. S. Thom. 2-2, q. 164 a. 2.

(2) Hoc sensu exponit celebris Lyranus promissionem serpentis Havae factam; « *eritis sicut dii* », idest « non restricti aliqua inhibitione, non alicui subjecti. » *Biblia Maxima* (in subjecta materia).

verba illa quae sponsus dirigit sponsae : « *Sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* » (1)

Postrema verba ad matrem generis humani seu Hevam referri, Patres communiter docent; unde his aequivalent : *Sub arbore malo Heva corrupta est, sub arbore malo Heva violata est.* Jam hic sermonem esse de corruptione maritali Hevae, patet *ex relatione* quae ponitur inter praedicta verba seu praedicata, quorum secundum est determinativum et specificativum prioris. Quia enim fieri potest, ut mulier materialiter corrumpatur, quin violetur, ideo sacer scriptor asserit primam mulierem sub arbore malo *et corruptam et violatam esse;* quod procul dubio cognitionem maritalem passivam, et quidem primam, ejusdem per se importat. Unde praedictorum verborum sensus in nostra hypothesi est per se obvius. Heva sub arbore malo *corrupta est*, quia, suasore serpente seu diabolo, peccatum carnis contra mandatum divinum voluntate concepit, et ideo virtualiter et apud Deum, apud quem, ut ait Aquinas « voluntas pro facto computatar », (2) jam corrupta evasit : *tulit et comedit* » ; et ibi ipsa *violata est,* quia conceptum peccatum opere complevit seu consummavit, conjungendo se materialiter Adamo : « *deditque viro suo, qui comedit.* »

Ast in contraria hypothesi praedicta Canticorum verba haud amplius, nostro judicio, intelligibilia evaderent. Nam, si Hevae peccatum fuit peccatum gulae, quo pacto dici potest ipsa peccando *corrupta et violata* fuisse? Foret recurrendum ad sensum improprium et figuratum, cui contextus minime suffragatur.

---

(1) *Cant.* VIII, 5.

(2) *Contra Gentiles,* III, 144.

Hinc sincere fatemur nos haud comprehendere potuisse nec posse sequens commentum, quod praefati versiculi tradit clar. Martini, cujus en verba: « Eva, madre di tutti i viventi, dissubbidendo al comando di Dio, e sotto quell' arbore rimase violata e corrotta *per la sua colpa,* e nella stessa corruzione fè cadere il marito, donde la corruzione passò (eccur non *violatio?)* in tutta la loro infelice posterità. » *(In subjecta materia)* Deinde pergit: « Doppia fu la corruzione in cui cadde allora la madre di tutti i viventi, *la corruzione della colpa* e la corruzione *della pena*, ossia la morte dell' anima e la morte del corpo. » *(Ibidem).*

Namque *(a)* remanet semper explicandum, quomodo Heva comedendo (ad litteram) fructum vetitum dici possit *corrupta* et praesertim *violata:* peccato enim gulae praedicta praedicata non conveniunt.

(b) *Corruptio* et *violatio* in primis verbis citati commenti exhibentur, ni fallimur, ut *effectus inobedientiae seu culpae;* in postremis autem pro *ipsa culpa.*

(c) Dum versiculus Cantici clare et distincte loquitur de *corruptione* et *violatione* primae matris, de ejus violatione citatus commentator nihil dicit; quasi corrumpi et violari prorsus synonima essent, distinctisque conceptibus non responderent. Nisi igitur vis verbis inferri velit, accipiendo praefata verba sensu figurato, citatum Cantici Canticorum versiculum propositionem nostram haud obscure confirmare merito concludi posse nobis videtur.

II Argumentum confirmativum nobis suppeditat *Circumcisio.* — Omnibus compertum est, circumcisionem fuisse jussu Dei institutam, vel saltem assumptam, 1° *in signum foederis* quod Deus pepigit cum Abraham et filiis ejus, ut per eam in cultu Deo reddendo a gentilium populis secernerentur; 2° *in signum curativum* simulque *demonstrativum peccati originalis;* 3° ipsam po-

sitam fuisse *in incisione* et *abscissione circulari* (unde nomen « circumcisio » huic sacro ritui tributum) *praeputii.*

Qua super re clar. Cornelius A Lapide hanc quaestionem instituit: « Cur *in hoc membro praeputii* instituta sit a Deo circumcisio? » atque respondet: « 1° Quia in hoc membro Adam primo inobedientiae suae effectum et carnis rebellionem sensit; 2° quia hoc membro generamur et transfunditur peccatum originale (non utique trasfusione materiali, sed causali instrumentali): 3° ut significetur Christus Redemptor et Novi Foederis institutor generandus ex Abrahae semine (quamvis non via paterna). *Allegorice* (autem) circumcisio typus fuit Baptismi et Poenitentiae; *tropologice* (sive moraliter) mortificationis luxuriae et omnium vitiorum. » (1)

Quae quidem optime dicta suut. — Attamen omni cum reverentia eruditissimo commentatori debita, prima ratio ab eo adducta nobis non videtur sufficiens. Nam — 1° semper quaeri potest: cur Adam *per inobedientiam*, seu statim post peccatum, carnis rebellionem *in illo membro sensit,* si illud in ejus peccato nullam partem habuerit? Scimus Theologos id explicare per subtractionem gratiae, sive amissionem justitiae originalis, supernaturaliter Adamo antea concessae, qua fiebat, ut tamdiu ejus corpus maneret subjectum menti seu rationi, quamdiu ejus ratio Deo subjecta remaneret. Ast, posita etiam hac theologica explicatione, ulterius restat explicandum cur, si peccatum Adae fuit peccatum gulae, corporis seu carnis rebellio *in illo membro*, et non in alio, *suam primam manifestationem habuerit?* Deinde — 2°, cum circumcisio, propter dolo-

---

(1) *Corn. A. Lapide*, Comm. in Genesim. XVI, 2.

rem et effusionem sanguinis, fuerit operatio per se *mortificativa carnis,* et consequenter habuerit, ut notat Angelicus, *rationem punitionis* (1), dicere quod ideo in illo membro ipsa sit a Deo instituta, quia in eo Adam primo carnis rebellionem sensit, idem est ac dicere, quod Deus tali ritu *poenam punire* voluerit: siquidem, ut superius diximus cum Seraphico (2), et ut Patres communiter docent, carnis rebellio prima poena fuit peccati Protoparentum.

Rationabilius igitur nobis videtur dicere, ideo circumcisionem fuisse a Deo *in tali membro* institutam, tum quia Adam in eo *primo carnis rebellionem sensit*, tum quia illud fuit *causa instrumentalis* sceleris ab ipso patrati; seu, quod idem est, ideo Deum voluisse mortificare ac punire peccatum primi Parentis in illo membro, quia eo contra divinam voluntatem seu contra temporalis continentiae mandatum, ad captandas actus conjugalis atque scientiae voluptates, ipse usus est.

Juvabit hic audire S. Zenonem, cujus auctoritatem jam supra retulimus, quique aliam quoque circumcisionis affert rationem, quae argumentum nostrum perbelle confirmat. En ejus ex integro verba: « Adde, quod circumcisio ista (Abrahae), non tam salutem pollicetur, quam locum caputque criminis monstrat. Adam enim *cum hoc membro illicitum pomum decerpit;* sic in genus

---

(1) « Habet circumcisio expressam similitudinem ablationis originalis peccati. *Primo*, quantum *ad membrum generationis*, per quam originale transfunditur. *Secundo*, quantum *ad figuram circularem,* in qua significatur circulus qui est in processu originalis infectionis, secundum quod persona corrumpit naturam, et natura personam (illud in Adamo, hoc in posteris). *Tertio,* quantum *ad poenam*, quae erat in circumcisione contra delectationem concupiscentiae, in qua praecipue viget fomitis virtus. « *Sent. IV,* dist. I, q. 2, a. 1. — Praeter tertiam, probe attendenda prima ratio Aquinatis: expressa nempe similitudo *inter abscissionem praeputii* et *ablationem* originalis peccati.

(2) Cf. *supra* pag. 33.

humanum jus mortis induxit. Necessario ergo luxurioso populo Deus hoc signum dedit, ut, LOCUM MATRICALIS CULPAE *cum denotat*, etiam alia crimina fugienda cognoscat. » (1)

Adde, quod difficulter intelligi potest, quomodo circumcisio potuerit esse curativa, et consequenter *demonstrativa*, peccati originalis seu Protoparentis, simulque (esto quidem *tropologice* seu moraliter) *typus mortificationis luxuriae*, ut idem A Lapide docet, quin haec in Protoparentum peccato ullam partem habuerit ; nam inter *typum* et *antitypum* aliquam *similitudinis relatio* profecto necesse est intercedat.

III Argumentum confirmativum nobis suppeditat *Passio Christi.* — Christum passum esse pro nobis, idest propter peccata nostra, ut ab iis nos redimeret, de fide est, totaque S. Scriptura proclamat. Sic ISAIAS : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* (2) Et S. PETRUS : « *Peccata nostra* (idest poenas peccatorum nostrorum) *ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus.* » (3) Docent autem communiter Doctores et Theologi vehementissimos cruciatus et dolores, quos ad expianda hominum peccata dulcissimus Dominus noster Jesus sustinuit in corpore suo, praesertim in immanissima et crudelissima FLAGELLATIONE, unde « *quasi leprosus factus est, percussus a Deo et humiliatus, non habens speciem, neque decorem* » (4), ideo praecipue sustinuisse, ut innumera *luxuriae peccata* humani generis in seipso expiaret. Audiatur prae ceteris Seraphicus, qui, postquam asseruit Christi passionem fuisse *summam*, utpote

---

(1) *Loco citato*, supra, pag. 57.

(2) LIII, 5.

(3) *I Epist.*, II, 24.

(4) LIII, 2.

generalissimam, acerbissimam et *ignominiosissimam,* explicans rationem hujus acerbitatis, scribit: « Quia libido vehementer infecerat in nobis animam et carnem, et quantum ad carnalia et quantum ad spiritualia peccata, hinc est quod Christus et acerbissima passione passus est in carne, et amarissime compassus est in anima. » (1)

Jam si mente reputemus 1° Christum, juxta communem Theologorum doctrinam, acerbissima passione sua, non tantum peccata hominum expiasse actualia, sed etiam, imo praecipue, *peccatum originale* a Protoparentibus patratum et in posteros transmissum, seu non tantum peccata descendentium Adae, sed et peccutum ipsius Adae; — 2° vehementem illam infectionem summopere incitativam ad peccata luxuriae, de qua Seraphicus, *effectum fuisse* et *sequelam* peccati originalis seu primorum Parentum; — 3° tandem, Christum appellari ab Apostolo *secundum Adam* (2) per oppositionem *ad primum;* non absque rationabili fundamento ex ipsa Christi passione nobis concludi posse videtur, Protoparentum peccatum duplici praecipue constare debuisse elemento, *superbia* scilicet et *luxuria:* superbia in mente « *Eritis sicut dii* », et luxuria in carne « *Bonum ad vescendum* etc. » Quamobrem novus Adam ad expiandam Protoparentum superbiam « *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* » (3); ad expiandas illicitas eorum voluptates carnis, dolores omni morte acerbiores pertulit in corpore suo: « *attritus est propter scelera nostra* ». Brevius: Cristus *exinanitus* in Incarnatione, Christus *attritus* in Passione, en nostro

---

(1) Brevil., p. IV, cp. 14.

(2) *I Cor.* XV, 44.

(3) *Rom.* V. 14. — Nominatim, in *carne passibili* et mortali.

modesto judicio *perfecta antithesis* (1) secundi Adam ad primum, qui superbiae fumis carnisque voluptatibus abreptus et seipsum perdidit, et in seipso, sicut in fonte vitiato, universum humanum genus, quoad animam et quoad corpus, mortaliter sauciavit.

IV Argumentum confirmativum nobis suppeditat *spiritus Novae Legis.* — Optime namque dici potest totam Christi religionem, praeterquam ad superbiam reprimendam et humilitatem sectandam (qua de re, utpote extra nostram controversiam, hic nihil dicimus), huc spectare, ut retundatur in nobis audacia illius legis de qua dicebat Apostolus: « *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati* » (2); hoc est, ut *reprimatur* et *subjugetur rebellio carnis ad spiritum*, utique ope Christi gratiae et auxilio. Nam, ut habet idem Apostolus : « *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* » (3) Atque ad Romanos pergit: « *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* » (4) Quae *facta carnis* ibidem

---

(1) Praeterimus aliam antithesim, scil. *perditionis* in Adamo et *redemtionis* in Christo, utpote non facientem ad rem nostram.

(2) *Rom.* III, 23.

(3) *Gal.* VI, 8.

(4) *Rom.* VIII, 13. — « Il grande Apostolo, ita Abb. E. Bolo, torna sovente su questa idea dell' uomo spirituale, che deve in noi liberarsi ogni giorno più dall' uomo carnale. Questa è una di quelle idee che *compendiano tutto il Cristianesimo*, l' integrità della religione, considerata da un punto di vista speciale. » — *I Degeneri del Cristianesimo*, pag. 178 (Napoli, Rondinella e Loffredo T. E. 1908).

Unde in epistola ad Galatas ita ipse hortatur fideles: « *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis; caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* » (c. V°); idest, ut perbelle notat clar. MARTINI : « La somma dei miei avvertimenti è questa : ordinate la vostra vita

enumerat: « *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, irae, rixae, dissentiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* » Et concludit: « *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* » (1)

Haud ignoramus S. Paulum in allata enumeratione nomine *carnis* intelligere *concupiscentiam generaliter sumptam*, idest, summam passionum deordinatarum, quae in humanam naturam ex peccato primi Parentis manarunt; ast simul certum est, nullusque sanae mentis negabit, eum praedicta opera, seu *facta*, concupiscentiae carnali, proprie et stricte acceptae, *primo* et *potissime* adscribere. Id patet, praeterquam ex contextu, ex conclusione illa practica: « *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* »; idest, ut exponit clar. Martini, « mortificano e reprimono, per virtù dello Spirito, la concupiscenza carnale con tutti i vizi e passioni » (Ibidem). Brevius: cultus et imperium carnis sive effrenis luxuriae supra spiritum, en *ethnica religio;* crucifixio et repressio carnis seu effrenis luxuriae, victoriaque spiritus seu rationis super eam, en *religio christiana.* (2)

---

secondo lo spirito di Cristo, e i desideri della carne saranno raffrenati da questo spirito, onde non acconsentiate ai medesimi, nè ad essi vi assoggettiate. (Imperocchè) *la carne ha desideri contro lo spirito* — la concupiscenza carnale è il principio funesto di tutti i desideri contrari allo spirito del Signore, e lo spirito del Signore è il principio dei desideri santi opposti alla concupiscenza. » *(In subjecta materia).*

(1) *Ibidem.*

(2) Haud difficile demonstratu esset, cuncta vitia, omnesque deordinationes morales, *ex imperio carnis supra spiritum* ceu e fonte manare; sicut, e converso, *ex victoria spiritus supra carnem* amorem Dei progigni, omnesque virtutes.

Ad hanc repressionem carnis, victoriamque spirilus super eam, in nobis operandam, tota ordinatur oeconomia religionis christianae. Ad hoc ordinantur Novae Legis *Sacramenta*, *auxilia supernaturalia gratiae sanctificantis* et *gratiae actualis*, *praecepta* et *consilia* evangelica; ad hoc *abstinentiae* et *jejunia*, quae sancta Mater Ecclesia fidelibus observanda praescribit. Huc demum spectant *poenitentiae* positivae et directae *(disciplinae, cilicia,* etc.), omnesque austeritates, quibus Sancti carnem suam nullo non tempore vexaverunt, ut eam subjectam et obedientem spiritui tenerent. Ipsi fuerunt omnes perfecti constantesque imitatores magni Apostoli, qui de seipso testabatur: « *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* » (1), et: *Christo confixus sum cruci.* » (2) Haec fuit spiritus supra carnem victoria, quae illos ad eminentissimos sanctitatis et puritatis gradus evexit, atque, licet carne circumdatos, similes Angelis reddidit. (3) « Il mondo è sozzo, ita perbelle Abb. E. Bolo, perchè fangoso, è fangoso perchè materiale. La Chiesa è bella, perchè offre nei figli suoi lo spettacolo di numerose e candide rivincite dello spirito su la carne. » (4)

Jam si haec omnia vera sunt, simulque alia ex parte certum est, christianam religionem nullum alium finem habere, quam « INSTAURARE OMNIA IN CHRISTO » (5), seu *pristinum ordinem*, a Deo institutum et per originale peccatum subversum, *restituere;* jure meritoque, etiam ex hoc capite, concludi posse nobis videtur, *victoriam carnis supra spiritum* constituisse *primigeniam illam deordinationem,* de qua loquitur liber Genesis; seu,

---

(1) *I Cor.* IX, 27.

(2) *Gal.* II, 19.

(3) Cf. *Imit. Christi*, Lib. I. c. 25.

(4) *Loco citato.*

(5) *Eph.* I, 10.

quod idem est, Protoparentum peccatum, praeter superbiam, fuisse peccatum luxuriae sive *incontinentiam maritalem*, ut in propositione generali continetur.

V Argumentum. — His omnibus argumentis addi potest argumentum *theologicum rationale*, quod sic breviter evolvi potest.

Sicut dogma fidei est, Protoparentes, peccando, prolem peperisse peccatricem, eorumque peccatum, unacum amissione donorum supernaturalium, quibus in statu innocentiae a Deo aucti fuerant, in omnes homines posteros transfundi; ita doctrina catholica est, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, ut alibi innuimus tradita communiter, prolem innocentem, donisque supernaturalibus ornatam ipsos genituros fuisse, si divinam legem minime fuissent transgressi, seu si innocentes mansissent. Ratio est, quia ipsi constituti fuerant a Deo *principium unicum* propagativum et repraesentativum totius generis humani; et ideo, sicut modo in omnes generatione transfunditur natura peccato infecta, donisque supernaturalibus expoliata, ita, manentibus ipsis innocentibus, natura innocens unacum dictis praerogativis in omnes posteros transfundi debebat. Ad rem Angelicus: « Justitia originalis, in qua primus homo conditus fuit, fuit accidens *naturae speciei*, non quasi ex principio speciei causatum, sed tantum sicut quoddam donum divinitus datum toti naturae; et hoc apparet, quia opposita sunt ejusdem generis: peccatum autem originale, quod opponitur illi justitiae, dicitur esse peccatum naturae; unde traducitur a parentibus in posteros: et propter hoc etiam *filii* (in statu innocentiae) *parentibus assimilati fuissent quantum ad originalem justitiam.* » (1) Nec

---

(1) *Summa Theol.*, I. q. 100, a. 1.

aliter, licet brevius, se exprimit Seraphicus scribens: « Adam innocentiam et immortalitatem acceperat *pro se* et *pro tota sua posteritate;* unde ipse innocens et immortalis generasset (prolem) *innocentem* et *immortalem.* » (1)

Jam age: pone legem illam a Deo Protoparentibus datam: « *De ligno . . . ne comedas* », reipsa expressisse prohibitionem comedendi de *fructu arboris;* profecto evenire tunc potuisset, ut prolem ipsi susciperent *innocentem,* posito quod, quin talem legem violassent, sese maritaliter cognovissent, et subinde prolem *peccatricem*, si dein de *ligno vetito* commedissent. Sufficit hypothesim esse possibilem, ut eam *a priori* respuere nemini fas sit. Ergo, in hypothesi, *non in omnes* Adae et Hevae posteros transfusum fuisset eorum peccatum, sicut *nec in omnes* transiisset ipsorum innocentia. Atqui consequens admitti nequit: contradicit enim doctrinae catholicae. Ergo nec antecedens. — Clarius: si ex obedientia aut ex violatione legis probationis priscis parantibus datae, sors pendebat tam ipsorum quam totius humani generis, adeo ut homines ex eis orituri vel innocentes vel peccatores *nasci omnes necessario debuissent;* lex illa *possibilitatem moralem* eisdem adimere debebat habendi prolem extra divinam prohibitionem. Manifestum est autem possibilitatem hanc solummodo adimi, ponendo legem illam « *ne comedas* » expressisse, non jam prohibitionem *pomi*, sed prohibitionem tempraneam *actus conjugalis* Protoparentum.

Adde: si divinum praeceptum « *ne comedas* » expressisset reipsa prohibitionem *pomi*, evenire quidem poterat, ut idipsum praeceptum vel tantum Heva transgrederetur, vel Adam tantum; quod sane minime evenire poterat in hypothesi nostra. Posito autem, ut

---

(1) *Sent.* II, dst. XX, a. 2, q. 2.

superius diximus, quod Adam et Heva constituti fuerunt a Deo *principium unicum* procreativum et repraesentativum totius humani generis, *qualis, tunc, futura posteritas?*

Ergo, dum ea quae *ex contestu* et *ex adjunctis* narrationis mosaicae, necnon *alia* quae supra protulimus argumenta, ostendunt hypothesim nostram circa naturam peccati Protoparentum non omni destitui fundamento, argumentum *theologicum* gravem quidem confirmationem eidem afferre nobis videtur.

VI Argumentum. — In confirmationem nostrae propositionis nobis videtur adduci etiam posse, coronidis loco, *consensus communis vel fere communis fidelium.* — Nam si inductio, sicut nos fecimus, instituatur, ac non jam pueri, sed fideles sui conscii hac super re interrogentur, nullum aut fere nullum reperiemus qui narrationem mosaicam de lapsu Protoparentum ad litteram accipiat; omnesque sibi persuasum habent sub velamine pomi vetiti et comesti aliud grave peccatum, et quidem in genere luxuriae, contineri, quod aperte describere minime congruum Spiritui Sancto visum est. — Hoc praesertim reperies penes juvenes in sortem Domini vocatos, qui, officium divinum recitare incipientes, et prima vice lectiones feriales de lapsu primorum parentum perlegentes, in eamdem conclusionem nobiscum in corde suo devenisse nobis candide fassi sunt.

Quae communis persuasio, temetsi implicita, nostro quidem judicio in causa esset, cur SS. Patres narrationem mosaicam de lapsu Protoparentum sensu proprio interpretati sint.

Interpretatio enim metaphorica, sensu a nobis declarato, nec necessaria, nec congrua erat; — *non necessaria*, quia sufficiebat delicata simul et facillima imago mali vetiti ad speciem peccati indicendam; —

28218

nec congrua, quia cum creatio protoparentum, dona paradisiaca quibus a Deo ornati fuerant, eorumque inobedientia Supremo omnium Factori ab omnibus nosci, et quidem a primo usu rationis, oporteret, interpretatio litteralis metaphorica profecto aures adolescentium certo certius, vel saltem facillime, offendisset.

Dices: SS. Patres et Doctores unanimiter docent Protoparentum peccatum fuisse grave, imo *gravissimum:* tale autem amplius non foret, posita metaphorica interpretatione ligni seu fructus vetiti pro *temporanea* abstinentia ab actu conjugali; tempus enim, cum sit *accidens* seu circumstantia accidentalis, non constituit materiam gravem peccati.

Resp. I) *indirecte*, retorquendo argumentum. Re sane vera, si grave non fuisset Protoparentum peccatum in hypothesi nostra, seu in transgressione temporalis legis continentiae, eo quod tempus est *accidens* rei, multo minus ipsum grave dici posset, admissa interpretatione litterali propria divini praecepti Geneseos; tot enim inter poma, quibus Paradisi arbores ornabantur, comedere *unum,* esto quidem contra divinam voluntatem, non videtur constituere materiam gravem peccati vel gravis peccati materiam. — Imo in interpretatione litterali propria, non aliqua circumstantia, sed *ipsum objectum* est *per se* materia levis: pomum enim nemo dixerit esse materiam *per se* gravem. Contra, admissa interpretatione nostra metaphorica, ex parte ipsius objecti certo non adest levitas materiae, cum copula sit *per se* materia gravis. Melior igitur est conditio interpretationis *metaphoricae*, prae illa interpretationis *propriae.*

Resp. II) *directe.* Etsi circumstantia *per se* non constituat materiam gravem peccati, potest tamen *per accidens* evadere materia gravis, puta *ex fine* seu intentione legislatoris; sicut cum Superior, ex gravi ratione et

fine, prohibet ne subditus deambulet *per talem vel talem viam*. Sic in proposito: etsi abstinentia illa fuerit *per se* circumstantia praecepti divini, ideoque *per se* minime praeseferat materiam gravem, optime tamen materiam gravem induit *ex fine* seu intentione *legislatoris Dei*, qui tali lege, ut alibi innuimus, Protoparentes, etiam quoad actum nobilissimum seipsos reproducendi, sibi subjectos et a se dependentes voluit, in solemnem agnitionem propriae totalisque subjectionis, et absoluti dominii Dei.

APPENDIX

DE SERPENTE TENTATORE

§ I.

Prop. I. — Perpensis omnibus adjunctis narrationis mosaicae, probabilius nobis videtur serpentem geneseos metaphorice esse accipiendum — ita ut, nomine serpentis intelligendus sit ipse diabolus, seu daemon, seu satan, qui fuit praevaricator a principio.

Praenotamina. — Ut valor propositionis necnon scopus ejusdem plene intelligantur, tria in antecessum probe notanda ducimus.

I.° Propositio haec prior, non secus ac altera mox secutura, non afficit substantiam nostrae quaestionis - Quale fuerit Protoparentum peccatum. — Quod enim « suasore serpente » divinam legem ipsi sunt transgressi, non est nisi accidens seu circumstantia, ut diximus, narrationis mosaicae circa lapsum primorum Parentum. (1) Quare, etiamsi omni valore haec et altera propositiones destituerentur, propositio *princeps*, quam hucusque tripartitam pertractavimus, intacta remanet.

---

(1) Cf. pag. 7.

II.° Propositio nostra non tendit, ut patet, ad eliminandam *absolute* sententiam communem SS. Patrum circa acceptionem *serpentis* Genesiaci sensu *litterali proprio*, ita ut diabolus serpente vero et reali ad Hevam alloquedam seducendamque usus sit: id enim (etsi non leves difficultates praeseferat) absolute non repugnat; — sed mens tantum haec est, *explanandi rationes* quae pro sensu litterali, *potius metaphorico* (etsi hic quoque suas patiatur difficultates), quam pro litterali proprio militare nobis videntur. Unde consulto diximus: « probabilius » et quidem « nobis videtur »: id enim categorice asserere nec audemus nec volumus.

III.° Cum haec propositio cum II^{a} quae mox sequetur, quaeque tamquam hujus evolutio et complementum considerari potest, intime sit connexa, hujus prioris propositionis valor demonstrativus, non seorsim ab altera, sed *unacum argumentis alterius*, seu II^{ae} propositionis, spectandus est. — Quod pariter dictum intelligimus de II^{a} in ordine ad propositionem *principem*.

Hisce positis, en

Argumenta. — 1) *Ex contextu* arguimus multipliciter:

(a) Verba Genesis: « *Serpens erat callidior* etc., *qui dixit ad mulierem* etc. » non possunt accipi sensu litterali *proprio;* siquidem serpenti materiali nec summa calliditas, nec locutio competunt: hoc adeo verum est, ut ipsi SS. Patres praedictas qualitates diabolo adscribant. Ergo, stante charactere historico narrationis mosaicae, verba illa sunt accipienda sensu *metaphorico*.

(b) Per serpentem Genesis diabolum designari Patres communiter docent, ita tamen, ut ipse serpente materiali *tamquam instrumento* ad Hevam tentandam usus sit. « Non figuriamoci, ita clar. Bossuet, la malizia del serpente come la malizia di un animale irragionevole, ma come la malizia del diavolo, che per

divina permissione era entrato nel corpo di quell' animale. » (1) — Sed, praeterquamquod haec est suppositio quae probatione indigeret, serpens, tum propter defectum organorum vocis, (2) tum, ut alibi diximus, stante horrore quem naturaliter gignit, (3) se offert ut medium parum aptum, sicut ad loquendum, ita ad tentationem insinuandam.

(c) Denique, admissa interpretatione metaphorica serpentis Geneseos, optime intelliguntur poenae ipsi a Deo inflictae, necnon motivum earumdem : « *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae; super pectus tuum gradieris, et terram comedes*, etc.; » tunc enim ipsae *integre* et *simpliciter* referuntur ad diabo-

---

(1) *Elévations* sur les Mystère, élév. I.

(2) Cf. *clar.* Franc. Von Hummelauer S. J., Comm. in Gen., *De serpente* (Cursus Scripturae Sacrae, Parisiis, L. Lethielleux, 1895), qui hanc ob rationem docet « arte daemonis ita Hevae sensus esse affectos, ut vocem a serpentis ore profectam indubie arbitraretur, . . . tamen non ipse (serpens) loquebatur. » Sed tunc quomodo, quaeso, intelligi potest diabolum usum esse serpente ed Hevam alloquendam, et « per illum serpentem esse locutum », ut paulo superius clar. Auctor asserit?

(3) *Dices:* horror, quem serpentis aspectus in hominem, et praesertim in mulierem gignit, est effectus maledictionis divinae contra diabolum ejusque tentationis instrumentum pronuntiatae; ante autem non erat sic.

Resp. — Nonnulli id admittunt; alii vero, et forsan probabilius, negant, eo quod, inquiunt, per peccatum et maledictionem inde secutam, natura humana, sicut illa serpentis, non est substantialiter mutata, sed naturales suas proprietates retinet. Cf. S. Bonavent., Sent. II dist, XXI a. 1 q. 2, ad 2; clar. Vigouroux, Manuale Biblico (1907), vol. I, *De Pentat.*, cap. 3, pag. 577. — Clar. Bossuet, ad removendum in Heva, si non praecise horrorem, *terrorem* et *stuporem serpentis sermocinantis*, haec habet: « Come Dio appariva all'uomo sotto forma sensibile, lo stesso avveniva degli angeli, i quali conversavano con l'uomo in quelle forme da Dio permesse e *sotto la figura di animali*. Eva, dunque, *non fu punto sorpresa* in udir parlare un serpente » (Loco cit.), Verum, ut dicamus quod modeste sentimus, hoc nimium nobis videtur! atque in mentem nobis revocat *Aesopi fabulas,* quasi pares huic interpretationi!...

lum, et metaphorice nil aliud exprimunt, quam *summam vilitatem* et *abjectionem* ipsius. (1)

Dum e contrario, posita interpretatione stricte litterali serpentis, ita ut diabolus in ipso latuerit, eoque instrumentaliter usus sit ad Hevam alloquendam et tentandam, tales cogimur dare et tales hac super re proferuntur explicationes, quibus ratio non acquiescit. Praedictae enim poenae litteraliter et sensu proprio sumptae nec serpenti materiali, nec diabolo, neque diabolo-serpenti *simpliciter* et *adaequate* conveniunt: hic praesertim cogita poenas: « *Inimicitias ponam* etc.; *ipsa conteret* etc. » — Hoc adeo verum est, ut nonnulli Patres atque interpretes, quos inter (ut diximus) S. Cyrillus Alex. (2), Eugubinus (3) et alii, ad difficultates serpentis materialis evitandas, docuerint diabolum quidem sub forma serpentis, minime vero in serpente reali Hevae apparuisse, eique locutum esse. Sed de poenis diabolo inflictis fusius infra.

Dices: verba Genesis: « *Serpens erat callidior cunctis animantibus terrae* » sensu proprio, idest, de vero materiali serpente accipienda esse, patet *ex comparatione* quam Moyses instituit inter ejus calliditatem illamque ceterorum animantium terrae; unde his aequivalent: « *Serpens erat animal terrae, cujus calliditas superabat calliditam ceterorum animantium terrae;* » necnon ex

---

(1) Jeremias, prout refert Hetzenauer (Comm. in Genesim, pag. 75) citat in suo opere « Das Alte Testament » phrasim assyram: « *Videant inimici nostri et terram lingent* « lingant », quae exprimit summam dejectionem et miseriam in quam ipsi adigentur. — Etiam italico sermone « *far mordere ad alcuno la polvere* » significat illum prosternere, impotentem ad nocedum reddere, summe humiliare. Cf. etiam Vinc. Zapletal Ord. Praed., Alttestamentliches, (Friburgi 1903), ubi pag. 18 notat *in Mich.* VII, 17, et *in Isaia* XLIX, 23, similem loquendi modum occurrere.

(2) *Lib. III adv.* Julianum.

(3) *In Cosmopoeia.*

responsione Hevae: « *Serpens decepit me* » (Gen. III). Acceptio igitur metaphorica serpentis aperte textui genesiaco refragatur.

Resp. Concedimus a Moyse talem comparationem institui, vi cujus nomen *Serpens*, prima fronte, videtur designare serpentem naturalem; at quoniam ipsum sic acceptum sensum redderet falsum, eo quod serpens, etsi callidus, non est *callidior* cunctis animantibus terrae, idcirco metaphorice, stante charactere historico narrationis, illud accipere cogimur. Eo vel magis, quod Moyses calliditatem serpentis tamquam *causam* assignat deceptionis et seductionis Hevae; et ideo ipsa talis esse debebat, ut ingenium sagacitatemque primae mulieris, in statu perfecto creatae supernisque donis locupletatae, longe superaret: talis autem calliditas serpenti naturali profecto tribui nequit. — Adde, Moysen, cum exhibeat serpentem *loquela instructum*, cumque eum, non jam aliquempiam serpentem, sed serpentem *absolute* (ut notavit Ugdulena) appellet, (1) satis superque ostendere, se nomine serpentis, non jam belluam, sed spiritum rationalem, utique nequissimum, ipsoque homine praestantiorem, nempe diabolum designare.

Neque dicas hoc pacto, dum volumus vitare *Charybdim*, incidere nos in *Scyllam;* nam sensus versiculi Geneseos tunc foret: *diabolus erat callidior cunctis ani-*

---

(1) « Occorre notare, come il testo originale non dica che Eva fu tentata da un serpente, ma dal serpente, *a nàhasch*, donde risulta che qui non trattasi d' un rettile ordinario, ma d' un serpente particolare; nella stessa guisa che in Giobbe Satana, che significa « *un nemico* », cessa d' indicare un nemico qualunque per designare il nemico per eccellenza, il diavolo, perchè è preceduto dall'articolo: « *a Satan.* » Vigouroux, Man. Bibl., vol. I, cap. 3, a. 1, pag. 577. — « Il testo originale ebraico, come il samaritano e il greco, dice assolutamente *il serpente* coll' articolo determinativo *(han nakliasc)*, e ripete lo stesso nome per ben cinque volte col medesimo articolo. » P. G. Cereseto, Introduzione speciale al Pentateuco, pag. 716.

mantibus terrae; quod ridiculnm est. — Ridiculum utique, si verba « *cunctis animantibus terrae* » sumuntur prout sonant; minime vero, si lato sensu, ita ut inter ea ipse homo comprehendatur. S. Augustinus, ut vidimus, etsi serpens dicatur maledictus *inter omnia animantia et bestias terrae,* tò *maledictus* refert ad diabolum exclusive.

Responsio autem Hevae nihil probat in favorem serpentis materialis. Eoipso enim quod Moyses diabolum serpentem appellat, ipse hoc idem nomen in Hevae ore ponit. — Rationes autem hujus appellationis infra patebunt.

2) *Ex locis parallelis:*

(a) Joannes in Apocalypsi, postquam descripsit proelium magnum habitum in Coelo inter Michaelem archangelum hujusque angelos et Draconem cum angelis suis, scribit: « *Et projectus est* (de coelo) *draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum eo.* » (1) Draconem et serpentem hic a Joanne *metaphorice* accipi est per se manifestum; nam eum identificat *cum diabolo* et *satana*: insuper, supponi nequit diabolum fuisse in coelo sub reali forma draconis et serpentis. Iste ergo draco, quem Michael « cum rebellibus-coelesti ab arce fulminat, » (2) est Lucifer, dux lapsorum angelorum; qui ideo vocatur *draco*, et quidem *magnus*, propter nimium ejus furorem ac voracitatem ad devorandas animas, ut patet ex iis quae Joannes ibidem subjungit: « *Vae terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam*; » (3) vocatur *serpens*, propter ejus astutiam in

---

(1) Apoc. XII, 9.

(2) *In hymno* S. Michaelis.

(3) Apoc. XII, 12.

tentando et seducendo (seductio enim est ars propria daemonis), praesertim vero propter mortem spiritualem quam in seductis causat; *antiquus* autem, quia ipse seduxit primam mulierem, et continuo pergit in mundo infiltrando venenum suum: « *qui seducit universum orbem.* » (1)

(b) Idipsum eruitur ex verbis quae idem Joannes habet in Apoc. XX, 1-2, ubi, postquam dixit: « Vidi angelum descendentem de coelo, hahentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua », subjungit: *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille.* » Etiam hic, et quidem clarius, serpentem Geneseos identificari cum diabolo evidens est, quia non solum dicit eum vocari, sed *esse* diabolum et satanam; et neminem esse puto qui opinetur, Angelum descendentem de coelo super terram apprehendisse diabolum *sub reali forma draconis* vel *serpentis,* eumque cinctum *ferrea catena* in infernum detrusisse.

3) *Ex Liturgia Ecclesiae:*

In antiphona enim *II Vesperarum Apostolorum*, Ecclesia, sub eorum exemplo, ita fideles hortatur: « *Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente, et accipietis regnum aeternum.* » Atqui hic Ecclesia pro antiquo serpente intelligit profecto simpliciter *diabolum*, qui, ut ait S. Petrus, « *tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret,* » (2) sicuti per bellum, *bellum fidei* et *virtutis;* ceterum, nunquam legimus Apostolos pugnasse cum diabolo sub reali forma serpentis. Ergo etc.

---

(1) Huc spectant verba Christi ad Pharisaeos: « *Vos ex patre diabolo estis; ille homicida erat ab initio* » (Jo. VIII, 44).

(2) I Petri, V, 8.

4) *Ex proprietatibus serpentis,* quae videntur satis aptae ad exprimendas artes diaboli in tentando, necnon ad indicandos effectus tentationis.

Nam serpentis est *a) repere,* idest pectore super terram se trahere; — *b) serpere,* idest viam tortuosam incedendo signare; — *c)* suo intuitu aves *fascinare;* — *d) abdite* se homini *appropinquare;* — *e)* hominis calcaneum *mordere,* morsuque suo; — *f) venenum* ipsi mortiferum *inoculare.* Atqui omnes hae proprietates optime repraesentant artes callidissimas et funestissimas diaboli ad hominem tentandum. Ergo stat propositio. (1)

Objicies: — Vetustissima monumenta Chaldaica et Babylonica nuper detecta repraesentant Adam e Hevam sub arbore fructibus consita, *unacum serpente.* (2) Atqui si serpens, isque *realis,* in primorum Parentum tentatione partem non habuisset, ipsum minime in praedictis monumentis repraesentatum cerneremus. Ergo hypothesis nostra non solum est contra historiam mosaicam, sed et profanam.

Resp. — Nego *Majorem* et *suppositum;* nego *Minorem* et *Consequens.*

Cum objectio tendat ad oppugnandam non solum hanc priorem *Appendicis* propositionem, sed etiam pro-

---

(1) Etiam clar. et doctissimus Calmet, etsi stet pro serpente vero et reali Genesis, concedit tamen Moysen in referenda historia lapsus primorum parentum uti « *phrasibus metaphoricis* et *aenigmaticis,* quarum sub ambagibus tegit rei gestae veram historiam », atque « Israelitas (ideo) iisdem usos phrasibus, cum in familiari sermone rem illam narrarent » *(Comm. in Gen.* III, 1). — Remanet solummodo inquirendum, quomodo, stante natura sensus metaphorici, praedictae phrases metaphoricae cum serpente *vero et reali* conciliari possint. Si ego dicam e. g.: « *Leo de tribu Juda* fuit fortissimus ex cunctis leonibus terrae; ipse enim vicit Aegyptum, Graeciam, Romanum imperium, prostravitque omnes idolorum potestates », — quinam, quaeso, vocem *leonis* a me *sensu proprio* usurpatam diceret?

(2) Cf. Vigouroux, *Man. Bibl.,* vol. I, p. I, (N. T.) cap. 3, a. 1, § 291.

positionem nostrae *Dissertationis* palmarem, quam vocavimus « unicam », duplicem dabimus responsionem, *generalem* unam, alteram *specialem.*

1) *Generatim*, circa vetustissima monumenta quae nobis objiciuntur, haec notare sufficiat:

(a) Documenta Babylonica et Chaldaica hucusque detecta et ab archaeologiae cultoribus explanata nil continent, quod aliquam analogiam cum narratione mosaica primorum Parentum *certo* praeseferat.

(b) Idipsum, valde probabiliter, dici potest de multiplicibus *monumentis,* sive quae arbores sacras repraesentant (1), sive nominatim de insigni *cylindro chaldaico,* ad quem speciatim refertur objectio. Nam, utrum vir et mulier, ibi sub arbore effigiati sive sculpti, dexteramque erga ejus fructus porrigentes, reapse repraesentent Adam et Hevam fructum vetitum carpentes, res omnino *incerta est.* Multi id negant; nam vir *cornua* gerit, quae penes Babylonenses extant *sgmbolum divinitatis.* (2)

2) *Speciatim* vero quoad serpentem respondemus.

(a) Pariter *non constat signum illud*, quod ibidem verticaliter, ad instar serpentis, a tergo mulieris cernitur, reipsa serpentem repraesentare; nonnulli putant illum esse signum simpliciter *decorativum*, vel scissionem per tempus edax in eo productam. — Inter alios interpretationem biblicam hujus *signi,* imo totius cylindri in genere, (in globo), aperte impugnavit coram *Académie des Inscriptions et Belles Lettres,* jam ab anno 1879, J. Ménaut. (3) Hoc adeo verum est, ut ipsemet

---

(1) Cf. Pelt, *Storia dell' Ant. Test.*, tom. I, pag, 87: edit. ital. del Rousselle, Roma 1908.

(2) Cf. A. Jeremias, *Das Alte Testament im Lichte des Alten Orients*, pag. 203: Leipzig 1906.

(3) Cf. *Journal officiel*, 27 Nov. 1897, pag. 1043; — J. Ménaut, Bibliothéque du palais de Ninive, pag. 127 sqq., Paris 1880.

clar. VIGOUROUX, qui prius quoad illud pro interpretatione biblica stetit, (1) dein, perpensis rationibus laudati MÉNAUT, *anceps* haeserit. (2)

(b) Ceterum, dato etiam, at non concesso, saltem *absolute*, praedictum monumentum narrationem Geneseos *unacum serpente* repraesentare, quid inde ?... Nihil profecto contra nostram propositionem concludi potest: siquidem, eoipso quod Protoparentum lapsus *tali sub metaphorica* descriptione in humanum genus per primaevam traditionem sese diffuderat, nonnisi *taliter* ab artium cultoribus pingi aut sculpi poterat.

(c) Quodsi quaeras: Quare ergo Moyses diabolum appellat *serpentem?* — Praeter rationes *morales* quas supra innuit S. BONAVENTURA (pag. 14), necnon eas quas sub n. 4) adduximus, hanc affert *historico-moralem* Anastasius Sinaita (Lib. X HEXAEMERON):

« Si quaeris, cur *non nude* haec Deus tunc est locutus, sed pro diabolo nominavit *serpentem?* aperte disce quod, cum mala et libidinosa gente loquens, noluit aperire Israeli neque quae ad angelos spectant, neque quae ad Satanam qui conculcavit Evam, *ne eum colerent et adorarent* (sicut nonnulli haeretici postea fecerunt adorando serpentem, unde *Ophitae* appellati) *tamquam Deo fortiorem,* ut qui potuisset Protoplastos a Deo ad se attrahere. » (3)

SCHOLION

Unus ex revisoribus nostrae *Dissertationis* nobis suggessit, ut consuleremus respectu serpentis Geneseos « LA SCUOLA CATTOLICA » (Milano 1908, pag. 476 et sqq.). — Et revera ibi in-

---

(1) Cf. VIGOUROUX, Man. Bibl., vol. I, *Il Pentateuco*, Cap. III. 291.

(2) VIGOUROUX, *La Bible et les découvertes modernes*, tom. I, pag. 278: Paris 1896.

(3) Cf. *Maxima Bibliot.* Veterum Patrum, T. IX (Lugduni 1578); nec non CLAUD. FRASSEN, Scotus Academicus, tom. V, a. I, q. I: edit. Roman. 1911.

venitur et evolvitur haec quaestio: « Il Capo III della Genesi è storico? » (*Riflessioni critiche ed esegetiche intorno al racconto biblico della prima caduta*), in tres articulos divisa (*Ott., Nov., Dic.* 1908), in quibus Auctor erûdite et satis fuse defendit interpretationem litteralem et sensu proprio acceptam Capitis III Geneseos.

Omissis duobus prioribus articulis, in quorum I° referuntur *diversa interpretum placita* quoad expositionem III Capitis Geneseos, in II° vero solide refutatur interpretatio *mythica* recentium Rationalistarum; — omissis hisce, utpote qui quaestionem fundamentalem nostram minime attingunt, accedimus ad articulum III, ubi Auctor referens rationes, quibus fautores sensus litteralis proprii defendunt serpentem Genesis fuisse *verum* ac *realem serpentem*, inter alia haec habet:

« Per quanto si vogliano speciose queste ragioni (eorum nempe qui stant pro sensu *metaphorico* serpentis), non ci sembrano però tanto forti da distruggere la sentenza comune da noi seguita, che si tratti cioè, non di un serpente allegorico, ma bensì di un serpente vero e reale. Imperocchè, *primieramente* non è affatto conforme alla verità il dire che, dovunque nella Bibbia si parla di questo serpente, sta pur detto formalmente che ciò debba intendersi del demonio. Per es. S. Paolo, parlando della tentazione di Eva, dice semplicemente, senza fare esplicita menzione del diavolo, che il serpente la sedusse con la sua astuzia: « *Sicut serpens Evam seduxit astutia sua* » (II Cor. XI, 3) ».

« In *secondo luogo*, niente ci vieta di riferire ad un serpente vero e reale tutti quei tratti, con i quali il Genesi ci dipinge il serpente della tentazione (idest, *che favella, che ragiona, che argomenta, che giunge a sedurre Eva nello stato d' integrità, capace di fare il male, che può ricevere un castigo, che dovrà vivere in continue inimicizie col genere umano, e che nella lotta con un rampollo della donna subirà una solenne sconfitta, espressa con lo schiacciamento del capo)*, purchè si ammetta, come è fuori di dubbio, che il precipuo agente della tentazione sia stato il diavolo, e che questi siasi servito del serpente come di un semplice strumento per tentare la donna ».

« In *terzo luogo*, lo stesso sacro testo ci mostra che intende parlare di un serpente vero e reale (quantunque invasato dal diavolo) quando lo annovera più di una volta tra gli animali *terrestri*, quando lo dichiara maledetto fra tutte le bestie della *terra*, quando lo condanna a strisciare sul *ventre*, a pascersi di *polvere*, ecc. ecc. ».

« D'altra parte, proseguono i tradizionali, come mai avrebbe potuto il diavolo confabulare con la donna, per più facilmente sedurla, se non avesse preso una forma corporale e visibile? E qual ragione gl' impediva di scegliere quella del serpente affine di riuscire nell' intento che si era prefisso? Certo non poteva a tale effetto invasare un uomo, perchè uomo non vi era all' infuori di Adamo ».

« . . . . . *Da ultimo*, si riflette col Vigouroux (*Man. Bibl.* vol. I *Cosmog. mosaica*, c. III a. 1 n. 291: S. Pier d' Arena 1901) che, secondo tutte le verosimiglianze, se il serpente non avesse realmente avuto nessuna parte nella caduta dei nostri progenitori, nessuno avrebbe mai sognato di attribuirgliela ». (Scuola Catt., *Dic.* 1908, pag. 698-9).

Mens nobis haud est quaestionem polemicam instituere cum auctore praedictarum adnotationum, clar. ac rev.mo *Can. A. Cellini*, cujus opera exegetico-biblica omnibus nota sunt, et cujus cuperemus vix dici discipuli. — Nihilominus, omni cum reverentia eidem debita, nobis fas sit, ad majorem nostrae propositionis illustrationem, sequentes animadversiones sub oculos ponere.

Ad I. — Nobis videtur clar. A. quaestionis terminos *sensibiliter permutare*. Aliud enim est dicere, quod « dovunque nelle altre parti della Bibbia si parla di questo serpente, esso viene identificato con il demonio », quae est una ex rationibus quas defensores oppositae sententiae adducunt, et quam hic ipse refutandam suscipit; aliud vero est dicere, praedictam identificationem ubique fieri *formaliter* seu *explicite:* hoc ipsi non dicunt. — Quoad auctoritatem vero S. Pauli, praefata identificatio (etsi *non formaliter*, eo quod explicite diabolum ipse ibi minime nominat) in verbis paulinis *implicite* contineri nobis quidem videtur, eoipso quod *subjecto serpenti* effectum tribuit superiorem serpenti proprio sensu accepto, illum nempe

seduxisse Hevam *astutia sua*. — De reliquo, si ubi in ceteris S. Scripturae libris de serpente Geneseos sermo est, non semper formaliter ipse identificatur cum daemone, vel unus afferatur nobis ipsorum locus, in quo *formaliter* et *explicite* tradatur serpentem Genesis a daemone *obsessum fuisse*.

Ad II : — « Niente ci vieta di riferire ad un serpente vero e reale tutti quei tratti ecc. » — Haec animadversio clar. A. est optima; attamen ipsa, nostro judicio, hoc unum probat, conclusionem argumentationis fautorum serpentis metaphorici *haud necessariam* esse, seu haud necessario fluere ex praemissis, ideoque certitudinem seu cognitionem scientificam minime continere aut gignere. Ratio est, quia etsi *Major* argumentationis: « *Serpens Geneseos loquitur, ratiocinatur,* etc. » sit historice certa, eo quod Moyses id affirmat; *Minor* tamen, nempe omnes illas proprietates non posse convenire serpenti vero et reali seu bruto, non est absolute seu *philosophice* certa, cum sit patibilis hujus distinctionis: non possunt ipsae convenire serpenti vero et reali, seu bruto, *per se*, seu *qua simpliciter tali* et *naturaliter,* Conc.; *per accidens*, seu *qua praeternaturaliter assumpto* ut instrumento *a superiore agente spirituali*, Nego.

Ast animadversio clar. A. minime probat acceptionem metaphoricam serpentis *absurdam* esse aut *falsam;* propterea quod, si nihil vetat quominus praedictae proprietates, utpote bruto superiores, referantur *diabolo-serpenti*, a *fortiori* nihil vetat, ut nobis videtur, quominus *serpenti-diabolo* seu simpliciter diabolo ipsae referri possint. Sunt, ut patet, duae hypotheses, duae sententiae ambae possibiles, imo probabiles, quae eidem principio philosophico (quod scilicet *loqui, ratiocinari*, *seducere* etc. nequeunt *per se* convenire nisi agenti spirituali) innituntur, et quo ipsemet clar. A. utitur ad demonstrandam II partem propriae thesis, nempe serpentem Genesis *obsessum fuisse a daemone*. Superest definiendum, an praedictae proprietates, quas Moyses serpenti tribuit, omnes simul sumptae magis aptentur *diabolo-serpenti* (sensu proprio), quam *serpenti-diabolo* (sensu metaphorico). En praecise cardo quaestionis!

Ad III. — (quod est clar. Auctoris argumentum *directum* et *positivum*, dum duo praecedentia sunt *indirecta* et *negativa*): — « Se il sacro testo ci mostra di parlare di un serpente

vero e reale, quando lo annovera più di una volta *(bis* tantum) tra gli animali terrestri ecc. »; ipse textus, a pari (saltem), ostendere nobis videtur, se haud loqui de serpente vero et reali, sed metaphorico, eoipso, ut supra notavimus (pag. 74), quod ipsi tribuit omnes illas proprietates superioris naturae, et praesertim illam, qua dicitur mulier (vel semen mulieris) *contritura esse caput serpentis*, atque ipse serpens *insidias moliturus calcaneo mulieris* (hujusve seminis). Eccur accipere primam phrasim Moysis: « *callidior cunctis animantibus terrae* », tamquam exprimentem verum et realem serpentem, atque deinde, cum agitur de aliis, praesertim vero de poenis serpenti ipsi irrogatis, et *in contritione ejus capitis,* ex parte mulieris, perstrictis, textum mosaicum ita accipere, ut caput serpentis (esto quidem a daemone acti) cesset esse caput serpentis, fiatque caput diaboli? Nam praedictas poenas (lo strisciar *sul ventre*, il pascersi *di polvere*, ecc.), unacum ea, qua serpens *maledictus fuit inter omnia animantia et bestias terrae*, S. Augustinus aliique Patres sensu improprio, ut notavimus, et ut diabolo unice inflictas intellexerunt; sicut unice diabolo dictas illas, quae continentur verbis: « *Inimicitias ponam . . . Ipsa conteret caput tuum* », omnes SS. Patres et interpretes catholici.

Uno verbo: textus genesiacus de serpente minime evidens est; ipsemet Calmet, ut vidimus, asserit Moysen uti *phrasibus metaphoricis* et *aenigmaticis*, quarum sub ambagibus *tegit* rei gestae veram historiam, et quae in causa sunt duplicis oppositae interpretationis. Fieri quidem potest, ut metaphorica interpretatio tanquam probabilior non habeatur, imo minus probabilis sit quam interpretatio propria; ast, ut superflua vel omni fundamento destituta, ipsa rejici posse nobis non videtur.

Ad IV. — Ultro concedimus diabolum haud potuisse « confabulare con la donna, se non avesse ecc. »; ast minime videmus necessarium fuisse, ad praedictum finem obtinendum, ut ipse serpentem ingrederetur, multoque minus *corpus* primi Parentis. Poterat enim diabolus mulieri se visibilem reddere assumendo e. g. formam *tantum apparenter* humanam. (Cf. *infra* Prop. II).

Ad V. — Nescimus quanti sit argumentum. Iconographia sacra e. g., tum antiqua, cum recens, constanter repraesentat

B. V. Mariam ut virgineo pede *conterentem caput serpentis* antiqui; quis inde concludet Ipsam in sua immmaculata conceptione serpentis *veri et realis* caput contrivisse? Sic et in proposito.

Nihil autem dicimus *de rationibus*, quas clar. Auctor in medium adducit ad probandam *II partem* suae thesis, videlicet « che il serpente della Genesi era invasato dal demonio »; tum quia, posito ipsum fuisse verum serpentem, ipsa non est nisi legitima et necessaria consequentia *I partis* eiusdem; tum quia ipsae non opponuntur propositioni nostrae. Non solum enim nos haud negamas diabolum in tentatione Hevae partem habuisse, sed serpentem tentatorem fuisse *ipsummet diabolum* dicimus.

Unicum, nostro judicio, gravis momenti argumentum, quod affert clar. A., est illud *extrinsecum*, seu, ut ipsemet ait, « d'ordine patristico. » — Equidem hic (sicut in ipso limine nostrae disquisitionis notavimus) *talus Achillis* nostrae *Dissertationis,* qui valde trepidos quoad illam nos reddit, nec nos affirmare sinit (etsi interpretatio metaphorica serpentis veritatem historicam I Capitis Geneseos minime destruat, nec ab Ecclesia sit damnata aut manumissa seu seposita) sententiam nostram luce veritatis absolute gaudere: *Quaerendo dicimus, non sententiam praecipitamus* » . . . Ast rationes, a clar. A. ex contextu Genesis depromptae, nobis non videntur *absolute insolubiles,* nec, ut ejusdem verbis utamur, « tanto forti da distruggere la sentenza da noi seguita. »

§ II.

PRAENOTIONES AD II PROPOSITIONEM

Restat ut breviter dicamus *quomodo* serpens, idest diabolus, Protoparentes ad divinum continentiae praeceptum transgrediendum induxerit. Et quoniam ex Genesi constat diabolum primo mulierem et dein per eam induxisse virum ad praeceptum divinum conculcandum, tota haec altera quaestionis pars ad hoc reducitur, ut nempe determinetur *quanam sub forma* (eoipso quod illa serpentis, ob allatas rationes, excludenda videtur) diabolus sese conspiciendum Hevae obtulerit, illamque sua calliditate et nequitia ad peccatum traxerit.

Verum, hic labor, hic difficultas controversiae! Genesis hac super re omnino silet, nullumque directum argumentum pro ejus solutione nobis suppeditat. Solummodo argumentis *indirectis* seu *inductivis* seu *analogicis* uti possumus ad aliquam, non thesim, sed tantum hypothesim statuendam circa hanc rem, quae mysterio obvolvitur et fortasse semper mysterium manebit.

Antequam vero opinionem nostram quae, quantumvis nova videri possit (1), hypothesis limites haud

(1) Videsis infra pag. 91, in *Nota*.

excedit, hac super re humiliter pandamus, sequentia circa *diaboli naturum* et *indolem* praemittenda ducimus.

I. Certum est *invidia diaboli* peccatum et mortem intrasse in mundum (1): *ille homicida erat ab initio.* (2) De quanam vero re ipse invidus fuit? Patres et Doctores, unacum Ambrosio, Gregorio et augustino (3), communiter docent objectum ejus invidiae fuisse futuram *in coelum assumptionem* et *glorificationem humani generis* a Deo decretam, si Protoparentes stetissent mandato divino. — Alii autem, inter quos S. Bernardus (4), cui adstipulantur multi ex recentioribus theologis, docent Angelorum probationem fuisse *Incarnationis mysterium* (Verbum scilicet Dei fore incarnandum, ut Deus-Homo hominum simul et angelorum caput esset), ipsis divinitus revelatum atque *ad adorandum* propositum, juxta illud: « *Et adorent eum omnes angeli Dei.* (5) Id multi e coelitibus spiritibus, duce *Lucifero*, praestare renuerunt, et ob id mali effecti sunt, atque illico e coelo praecipitati: « *Neque locus inventus est eorum amplius in coelo.* » (6)

Ast superbia, simulque invidia, diaboli *ascendit semper.* — De mea substantia — sic ille — Aeternum Verbum assumere noluit? ego efficiam ut nec humanam naturam Ipse assumere queat; ego eam contaminabo, foedabo in suo fonte, ut sic *divina Incarnatio, Christus, Deus-Homo,* unacum glorificatione humani generis, evadat impossibilis. Sciens igitur Protoparentes esse creatos, sciens continentiae probationem a Deo ipsis

---

(1) *Sap.* II, 24.
(2) Jo VIII, 44.
(3) Cf. Frassen, tom. V, disp. III, a. 1, q. 2.
(4) *Idem*, ibidem.
(5) *Hebr.* I, 6.
(6) *Apoc.* XII, 8.

impositam, Satan in terrestrem paradisum advolavit, impiissimum suum consilium impleturus. — Neque hoc est figmentum nostrae phantasiae; siquidem,

II. Certum est, idque plures Doctores aperte docent, in terrestri paradiso tum bonos cum malos angelos extitisse. Audiatur Angelicus: « Hoc pertinet ad conditionem humanae naturae, ut ab aliis creaturis juvari vel impediri possit; unde conveniens fuit ut Deus hominem in statu innocentiae et tentari permitteret *per malos angelos,* et juvari eum faceret *per bonos.* » (1)

III. Angelos autem bonos varias formas seu figuras (corpora umbratilia), quibus hominibus sese visibiles praebeant, assumere posse, et de facto pluries assumpsisse formam humanam, utpote aptiorem ad communicandum cum hominibus, paginae utriusque Foederis abunde testantur. Ad rem Seraphicus: « Quia finis imponit necessitatem iis quae sunt ad finem, et corpus effigiatum humanae effigiei *maxime* competit operationibus spiritus rationalis, et *expressius significat*, ideo angelus (bonus) assumit corpus, non qualecumque, sed *humana effigie* insignitum » (2). Eadem autem potestate — licet diminute (3), et Deo permittente — pollere angelos malos seu diabolum, nemo Doctorum ac theologorum negat, atque sufficit vel percurrere *Sanctorum acta*, ad cognoscendas innumeras propemodum transformationes, quibus spiritus tenebrarum — invidus de Incarnatione, veraque Christi *simia* (4) — eorum vir-

---

(1) *Summ. theol.*, 2-2, q. 155, a. 1.

(2) *Sent.* II, dist. VIII, a. 1. q. 2.

(3) Diximus: *diminute*. Nam « quantumvis ille (diabolus) velit pulcherrimam hominis similitudinem repraesentare, quae Dei bonitas est », id tamen nunquam perfecte, sicut angelus bonus, assequitur. Cf. Frassen, tom. IV, *Daemones*.

(4) *Idem*, ibidem.

tutem lubricare et dejicere nullo non tempore aggressus est.

Hisce praestitutis sit sequens propositio:

Prop. II. — ETSI, STANTE SILENTIO GENESIS, ID CERTO ASSERI NEQUEAT — NEDUM POSSIBILE, SAT VERISIMILE NOBIS VIDETUR, DIABOLUM SUB SPECIE HUMANO-VIRILI HEVAE APPARUISSE — (1), EAMQUE ET VERBIS ET GESTIBUS AD INCONTINENTIAM PROVOCASSE.

Declaratio. — Propositio, ut patet, duas *partes* simulque duos *modos*, ut aiunt Logici, complectitur.

Jam *I pars* demonstratione non eget: *possibilitas* enim nostrae hypothesis patet sufficienter ex dictis, eamque nullus negat. Patet insuper ejus *verisimilitas*, tum *ex analogia* bonorum angelorum, qui sub humana specie, humana tamen splendidiore, Protoparentibus in terrestri paradiso sese visibiles praebebant (2); tum *ex fine immediato* diaboli, qui erat non exterrendi suo primo aspectu milierem, sed potius ei confidentiam inspirandi; necnon ex fine *remoto*, qui erat mulieris deceptio et abjectio: species autem humana, utpote *expressior*, erat aptissima ad haec munia praestanda. Insuper, medium quo angeli communicent cum hominibus, oportet ut de proprietatibus utriusque naturae aliquo modo participet, et praesertim ut respondeat et aptetur naturae et capacitati humanae. Hoc adeo verum est, ut S. BONAVENTURA in Libro II Sententiarum, etsi per serpentem Genesis intelligat verum serpentem, quo diabolus instrumentaliter usus fuit ad Hevam tentandam, admittat tamen, cum *Beda*, ipsum *parte ante-*

---

(1) Opinio clar. A. STOPPANI, sicut et nostra, *non omnino* nova est. — CORNELIUS A LAPIDE refert idipsum sensisse, praeter DIONYSIUM CARTHUS. (cf. pag. 32), *Vinc.* in Speculo histor. (cf. ejus *Commentaria in Genesim*, c. III). -- Nil sub sole (absolute) novum!

(2) Cf. *Gen.* III.

riore habuisse (non secus ac aegyptiaca Sphynx) *aspectum humanum* (1). Hanc Seraphici Doctoris opinionem hic minime discutimus. Solummodo notamus eam nostrae valde appropinquare; quinimo aperte fatemur ipsam fuisse quae nostrae hypothesi occasionem praebuit, nosque impulit ad alteram hanc quaestionem exarandam.

Restat igitur ut probemus *II partem*, quae quamvis pariter *duos modos* contineat, unica tamen probatione absolvetur; nam, ut ex dicendis patebit, argumenta quae ostendunt *verisimilitudinem* nostrae hypothesis, ostendunt simul *possibilitatem* ejusdem (ceterum, possibilitas necessario praecontinetur in quavis verisimilitudine), et insuper *I partem* propositionis confirmant.

Argumenta. — Rationes autem sive argumenta quae nostram hypothesim fulcire nobis videntur, sunt sequentia:

1 Ratio petitur *ex charactere praecipuo* diaboli in ordine ad hominem. Re sane vera, diabolus, ut omnibus notum est, in SS. Scripturis et apud SS. Patres diversa nomina sortitur secundum diversas proprietates quibus pollet, diversasque actiones quas exercet in homines, ut eos suae habeat consocios ruinae. Hinc vocatur *spiritus superbiae, spiritus tenebrarum, spiritus invidiae, nequitiae, mendacii, daemon, satan, tentator*, etc.

---

(1) En Seraphici Doctoris verba: « Ad illud (quod objicitur) de majore affabilitate (si diabolus Hevae comparuisset in effigie humana), et quod brutum animal sua locutione fuisset *potius ad terrorem* quam ad persuasionem, jam patet responsio. Verum est enim quod, si fuisset in effigie humana, affabilior fuisset; sed divina providentia (?) . . . non debuit hoc permittere, sed cautelam diaboli debuit temperare; et ideo concessum est sibi corpus serpentis, quod tamen habebat *faciem virginis*, sicut dicit Beda, et *reliquum corpus erat serpentis*, ut sic ex una parte posset latere, ex altera deprehendi. » Dist. XXI, a. 1, q. 2. — Sic salvatur littera, et salvantur exigentiae rationis!

Ast ejus praecipuum nomen, quod, in ordine ad hominem, ejusdem proprium characterem exprimit, est: *spiritus immundus!*... Sic in Matthaeo legitur Jesus convocatis duodecim discipulis dedisse « *potestatem spirituum immundorum* (1). Sic Paulus *stimulum carnis*, quae concupiscit adversus spiritum, atque ad actus luxuriae provocat, vocat *angelum satanae*, eique illud adscribit (2). Ex Patribus S. Augustinus scribit: « Diabolus spiritus immundus est, et utique quoniam spiritus est natura, immundus est *de vitio.* » (3) Evidens autem est, vitium immunditiae competere diabolo, non *in se*, quia ipse non habet carnem unde in se tali vitio contaminari possit, sed *in ordine ad homines*, quos innumeris modis, *intrinsece* et *extrinsece*, ad actus immunditiae jugiter provocat. (4)

Jam si res ita se habet, quid in hoc repugnantiae est, quod *spiritus immundus* apparuerit primae mulieri sub specie pulchri juvenis (nam tentatio illa Geneseos, non per internam suggestionem, sed extrinseca fuit), eamque, capta occasione quod ipsa ab Adam aliquantisper se elongaverat, *furtim*, et quidem verbis et gestibus (quicumque ipsi fuerint) (5), ad incontinentiam provocaverit? Id, nedum possibile, sat verisimile nobis videtur; siquidem diabolus idem est, ejusque natura seu indoles minime mutata.

---

(1) *Mt.* X, 1.

(2) II.ª ad *Cor.* XII. 7.

(3) *De Nuptiis et Concup.*, c. 23.

(4) « Daemones sunt immundi et scelesti, ideoque turpissimi, utpote pleni superbia et odio Dei, ac ira et invidia in homines, ut eos *in luxuriam* et *immunditias* (ad quas sciunt homines esse promptissimos), omniaque scelera, indeque in gehennam, pertrahant. » Cornelius A Lapide, In Matth. X, 1.

(5) Dicimus: *quicumque ipsi fuerint;* nam circa hoc nulla prorsus nobis quaestio est nec esse potest, quia, quicumque ipsi fuerint, substantia nostrae hypothesis minime mutatur.

Praestat hac super re audire clar. Martini. Explicans ipse poenas diabolo inflictas, super illa verba: « *terram comedes* », haec habet: « Egli (il diavolo) cercò di corrompere l' opera di Dio, e di render l' uomo imitatore della sua dissubbidienza per averlo compagno nella sua dannazione; ma Dio dice al serpente, che un tale ardimento sarà punito *coll' ignominia* e *coll' obbrobro*, a cui sarà ridotto lo stesso spirito. Egli, benchè di natura sì nobile ed elevata, sembrerà divenuto *la stessa corruzione e la stessa impurità*: onde altro nome quasi più non avrà che quello di *spirito immondo,* perchè i suoi consigli, le sue suggestioni non avranno per oggetto, se non *i più sordidi e vili piaceri*, ed egli non si compiacerà e non avrà per amici, se non coloro, i quali, seguendo i suoi dettami, s' immergono (ad instar immundorum animalium) nella terra e nel fango. » (1)

Jam quaerimus: si per tentationem Hevae diabolus factus est maxime *impurus* et *immundus*, adeo ut « sembrerà divenuto la stessa corruzione e impurità »; quomodo supponi potest in illa tentatione et in lapsu primae mulieris impuritatem ac immunditiam ex parte ipsius locum non habuisse? Si ad peccata carnis, juxta communem Patrum atque theologorum doctrinam, ipse jugiter vehementerque provocat filios, eccur non provocaverit matrem?... Et eccur ipse delectatur iis, qui desideria carnis sequuntur, nisi quia ipsum, in eo quod egit cum prima muliere, imitantur? nam simile simili delectatur.

Ut sincere dicamus quod sentimus, admissa nostra hypothesi, praedictum commentarium Martini optime intelligitur, minime vero in tentatione et *peccato gulae.*

2 Ratio petitur *ex modo* seu *arte*, quam diabolus communiter tenet in hominibus tentandis. — Nam ubi

---

(1) Martini, Comm. in Gen. III.

interna ejus suggestio non sufficit ad desideria et peccata carnis suscitanda, ipse saepe saepius, Deo permittente, ea provocare nititur *extrinsece*, speciem, in hunc finem, vel *formosae mulieris*, si de viro, vel *venusti juvenis*, si de muliere tentanda agitur, assumens. Quot hac super re in *actibus Sanctorum* exempla habemus! Sic, ut unum prae ceteris afferam, in lectionibus *B. Nicolai Factoris* haec leguntur: « Pudicitia emicuit, quam non modo sartam tectam servavit, sed daemonem etiam, *specie mulieris formosae* indignis modis ad eam labefactandam *turpiter insidiantem*, *vimque facientem*, vicit ac profligavit. » Idipsum operatur cum *obsessis*, praesertim mulieribus. Nam, sicut ex ipsarum, earumque parentum testimoniis nobis constat, inter alia tormenta, quibus daemon, Deo permittente, has infelices mulieres affligit, eas vexare praediligit amplexibus, actibus et conatibus *quaquaversus impudicis*. Hoc adeo verum est, ut Ecclesia in exorcizandis obsessis hisce utatur formulis: « Praecipio tibi, quicumque es, *spiritus immunde* » — « Exorcizo te, *immundissime spiritus*. » (1)

Nec aliter, tandem, immundus spiritus se gerit cum iis qui, ejus potestati, implicite vel explicite, sese donantes, « *medianicis* seu *spiritisticis congressibus* » adsistunt. Scimus enim hosce congressus, sicut innumeri viri omni fide dignissimi testantur, in actibus, ex parte daemonis, *cujuscumque generis obscenis* saepe saepius terminare!... Unde S. Augustinus, *De Civitate Dei*, haec scribit: « Quosdam daemones, quos *Dusios* Galli nuncupant, assidue hanc immunditiam (concubitum cum mulieribus) et tentare et efficere, plures talesque asseverant, ut hoc negare impudentiae sit. » (2)

---

(1) *Rituale Romanum*, De exorciz. obsessis.

(2) *Lib. XV*, cap. 23. — Notandum S. Augustinum hanc opinionem minime amplecti; subjungit enim: « Non hinc (idest, stantibus illis testimoniis)

Jamvero, si diabolus ad seducendos filios Hevae hisce obscenitatis et carnalium voluptatum artibus constanter utitur, quaenam ratio, quaeso, esse poterit quae impediat quominus judicemus, *a fortiori* eodem artis genere ipsum usum esse ad seducendam *matrem* omnium viventium? Nulla sane. Tentator idem est; eaedem suae nocendi artes, potentia, astutia; eadem substantialiter humana natura, quae, utpote anima et carne composita, et licet Dei gratia suffulta, in Protoparentibus, sicut in nobis, erat naturaliter passibilis, sicut ad superbiam in mente, ita ad gloriam prolis, et ad carnis voluptates experiendas in corpore. Omnia haec astutissimus inimicus optime noscens, Hevam, utpote debiliorem, captaque absentia viri, ad proprium consilium explendum aggressus est, suisque mendacibus promissionibus atque incitamentis in propriam sententiam adduxit: in mente *elatio,* in carne *ardor excitatus concupiscentiae!* Dicit sacer textus, pergens in metaphora: « *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit et*

---

aliquid audeo definire, utrum (nimirum) aliqui spiritus elemento aerio (sic) corporati possint etiam hanc pati libidinem, ut, quomodo possunt, sentientibus feminis misceantur. Dei angelos sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim: nec de his dixisse Apostolum Petrum: « *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens, tradidit in judicio puniendos reservari* »; sed potius de illis, qui, primum apostatantes a Deo, cum diabolo principe suo ceciderunt, qui primum hominem per invidiam serpentina fraude dejecit. » — Ejus verba tantum ut *documentum historicum* retulimus.

Scimus insuper facta, de quibus sermo est, a plerisque recentioribus philosophis explicari per phaenomenon *auto-suggestionis*, et per divisionem seu repetitionem seu « duplicationem » proprii *Τὸν ego* (lo sdoppiamento). — Hoc evenire posse et aliquando evenire nos inficias non imus; ast opinioni, quod omnia facta, quae hujus generis historia et auctores narrant, et de quibus sermo est, sint traducenda veluti effectus praedicti phaenominis, nos minime subscribimus.

comedit » (1); voluptate autem ebria ac supra se elata, virum adiit, illumque ad peccatum, sive ad continentiae praeceptum violandum, induxit: « *Deditque viro suo, qui comedit.* » — In eo quod immundus spiritus agit cum filiis Adam et Hevae, finis est semper *particularis*, singulorum nempe, qui ejus fallacibus artibus adhaerent, perditio; in eo quod ipse egit cum prima infelicissima muliere, cum intentione per eam dejiciendi virum, praeter *universalem perditionem* humani generis, *summa reperitur injuria* aeterno Verbo illata, quatenus diabolus ex parte sua corrupit naturam illam, quam Verbum assumpturum erat, quamque, antequam assumeret virginea sui conceptione, praevie jam immaculatam reddidit in suae Matris, B. V. Mariae, passiva conceptione.

3 Ratio petitur *ex poenis diabolo irrogatis:* « Quia *fecisti hoc*, ait Deus ad serpentem, *maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae*, etc. » — S. Augustinus, super Genesim *contra Manichaeos*, scribit: « Nunc quidem ejus poena, scilicet diaboli, dicitur, qua nobis cavendus est, non ea quae ultimo judicio reservatur; per hoc enim quod dicitur: « *Maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae* », pecora illi praeponuntur, non in potestate, sed in conservatione naturae suae, quia pecora non amiserunt beatitudinem aliquam coelestem, quam non habuerunt » (2). — « Dicitur etiam ei, subjungit Angelicus, « *Super pectus tuum gradie-*

---

(1) Esto quod Heva motibus inordinatae concupiscentiae a daemone sic in ea excitatis, et antea ipsi penitus ignotis, *vel simpliciter consenserit*, id sane sufficiens fuisset ad illam coram Deo luxuriae ream constituendam. Nam « apud divinum judicium, ait Angelicus, voluntas pro facto computatur » (*Contra Gentiles*, III, 144); et S. Jacobus « *Concupiscentiâ*, ait, *cum conceperit, parit peccatum* » (Jac. I, 15).

(2) *Lib. II*, cp. 17.

ris » vel *pectore et ventre repes,* secundum aliam litteram (LXX Interpr.); ubi nomine *pectoris* significatur *superbia,* quia ibi dominatur impetus animae; nomine autem *ventris* significatur *carnale desiderium*, quia haec pars mollior sentitur in corpore: his autem rebus serpit ad eos quos vult decipere. Quod autem dicitur: « *Terram comedes cunctis diebus vitae tuae* », (sensus est): ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, idest *peccatores*, qui *terrae* nomine significantur. » (1)

Patet igitur, ex Augustino et Angelico, inter poenas diabolo ob Hevae seductionem a Deo irrogatas, ipsum, tametsi natura spiritum nobilissimum, damnatum fuisse ad non habenda nisi cogitata turpia, desideria turpia, consilia turpia, ejusque ignominiosum officium, et veluti cibum quotidianum quo pascatur, aliud non futurum, quam miseram Hevae prolem ad turpitudines inducere, atque immundis rebus delectari: « *Terram comedes cunctis diebus vitae tuae* », hoc est, per omne tempus. Atqui *poena respondet culpae*, ex eodem Angelico (2), et sicut homo, ita angelus « *per quae peccavit, per haec et torquetur* ». Ergo diabolum seu spiritum immundum ad immunditiam provocasse primam mulierem, atque hoc pacto (quicumque fuerit modus) illam foedasse, concludi debet.

Idipsum, praeterea, non obscure innuere videntur postrema verba contra tentatorem enunciata: « *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum* », ut legit Vulgata.

« Inimicitias ponam » : *immediate* inter te et Hevam, inter semen tuum et semen illius, quia, experti terribilia damna praevaricationis, ipsa et filii ipsius summo odio prosequentur te et socios tuae rebellionis; — *me-*

---

(1) S. Thomas, 2-2, q. 165, a. 2.

(2) Cf. supra pag. 52.

diate autem et prophetice, inter te et *futuram Matrem Verbi incarnandi.* Nam *semen* importat conjunctionem maris et feminae et ad generationem ordinatur, et qui ex prima matre viventium, sic corrupta et foedata, per conjunctionem carnalem cum Adam orituri erant, ad diabolum et ad massam damnatam pertinebant; ex radice enim infecta nonnisi rami infecti oriri possunt, *per se* loquendo. Jamque ipse invidus inimicus gloriabatur de tanta parta victoria! Ast « *non est consilium, non est potestas contra Deum* » (1). — Tu, invide, superbe ac immundissime spiritus, matrem omnium viventium dejecisti, contaminasti, sociam et amicam tuae perversitatis habuisti: Ego novam, et quidem ex semine ejus, creabo, *Mariam* scilicet *Virginem*, quae aeternas cum te inimicitias habitura est, in qua nihil coinquinatum invenies, quae tota pulchra erit et immaculata, quia a te in nullo corrupta.

« Inter semen tuum et semen illius »: idest, inter *tuos socios filiosque perditionis*, qui tua carnalia et superba desideria sectabuntur, et quorum dux et pater eris, et *filios reparationis*, qui patrem et ducem habebunt *Christum,* quique sectaturi sunt mandata ejus.

« Ipsa (vel *Ipse*, vel — ut plures Patres interpretantur — *Ipsa per Ipsum* i. e. *Christum) conteret* (utique sensu morali seu metaphorico) *caput tuum* »: hoc est, ad nihilum rediget consilium tuum, opus tuum, superbiam tuam; nam « *Christus heri et hodie, ipse et in saecula* ». (2) Ita communiter Theologi.

4 Ratio petitur *ex poenis ipsi mulieri inflictis.* — Nam ex Genesi constat, poenas fuisse Hevae multipli-

---

(1) *Prov.* XXI, 30.

(2) Hebr. XIII, 8. — Totam nostram argumentationem complexus est his paucis S. Bernardus: « *Ipsa conteret caput tuum.* Cui, inquit, haec servata victoria est nisi Mariae? Ipsa proculdubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam maligni suggestionem, tam *de carnis illicebra*, quam *de mentis*

catas seu, ut ait Seraphicus, « duplicatas (1): » *Multiplicabo aerumnas tuas.* » Stante mulieris naturali debilitate, nonne ipsi poenae potius minui quam augeri debebant in comparatione ad virum? Et tamen prima mater majori a justissimo judice poena plectitur. Eccur, nisi quia ipsa gravius peccavit (2)? nisi quia et desideriis juvenis tentatoris (etsi quidem tantum voluntate) adhaerendo, et Adamo fructum vetitum offerendo, *duplex* incontinentiae peccatum commisit?

5 Ratio petitur *ex Liturgia* Ecclesiae. — In Missa enim *pro sponsis,* in oratione quam sacerdos super neosponsam recitat, inter alia haec leguntur: *Nihil in ea ex actibus suis ille auctor praevaricationis usurpet.* » Allusio ad praevaricationem primae mulieris hic est manifesta. Ergo aliquid ipse in prima muliere *ex actibus suis* immundis usurpavit, eamque iisdem contaminavit. — Si tu dicas, praefatam Ecclesiae orationem referri ad consuetam agendi rationem diaboli cum mulieribus ex prima generatis, minime vero cum Heva; contra: si ordinarie ita ipse se gerit cum filiabus, eccur *non cum prima matre*? — Siquidem, ut verbis utar

---

superbia, deduxit ad nihilum. » Hom. II *super Missus.* — Mirum sane testimonium! quod *III partem Prop. unicae* optime confirmat. (Cf. *supra* pag. 49 et sqq.).

(1) Brevil., p. III, c. 4.

(2) Hoc *simpliciter* concedit etiam Aquinas, triplici ratione: « *Primo* quidem, quia major elatio fuit mulieris quam viri; mulier enim credidit verum esse quod serpens suasit, scilicet quod Deus prohibuerit ligni esum, ne ad ejus similitudinem perveniret; et ita . . . superbia ejus ad hoc se erexit, quod contra Dei voluntatem aliquid voluit obtinere; . . . sed vir non credidit hoc esse verum . . . unde non voluit consequi divinam similitudinem contra Dei voluntatem; sed in hoc superbivit, quod eam voluit consequi per seipsum. — *Secundo*, quia non solum ipsa peccavit, sed etiam viro peccatum suggessit; unde peccavit et in Deum et et in proximum. — *Tertio* in hoc, quod peccatum viri diminutum est ex hoc, quod in peccatum consensit amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. » 2-2, q. 163, a. 4.

D. Angelici: « Id quod est primum in aliquo genere, debet esse proportionatum his, quae in eodem genere consequuntur » (1), et vicissim.

6 Ratio, seu ultima, petitur *ex analogia oppositionis,* quae inter lapsum et reparationem existere debebat, quamque Patres et Doctores communiter inculcant atque extollunt.

Re quidem vera, ad opus reparationis exequendum e coelo mittitur Angelus ad *Virginem desponsatam* viro; ad opus perditionis complendum angelus malus ad *virginem desponsatam* Adamo gressus suos dirigit. — Angelus lucis *sensibili* sub specie, humana splendidiore, cubiculum Virginis, ubi *sola* ipsa morabatur, ingreditur; angelus tenebrarum, *humana* et pulchra specie indutus, terrestrem paradisum furtim intrat, Hevaeque *seorsim* se conspiciendum offert. — Ad aspectum coelestis Nuntii Mariam tam sublimiter salutantis, Ipsa *tota turbatur,* et « *cogitabat qualis esset ista sulutatio* »; ad aspectum angeli tenebrarum, quin Heva turbetur, *benevole eum excipit,* et libenter cum eo colloquia miscet. — Gabrieli asserenti Ipsam invenisse gratiam apud Deum, atque *concepturam* et *parituram* esse filium, Maria difficultatem objicit humanitus insuperabilem, *votum* scilicet virginitatis: « *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* idest, *non possum* cognoscere. Heva angelo tentatori sciscitanti: « *Cur praecepit vobis Deus ne* etc. » idest, *ne vos maritaliter cognoscatis?* confitetur quidem divinam prohibitionem, at simul *in dubium* revocat punitionem et consequenter ipsum continentiae praeceptum: « *ne forte moriamur.* » (2) — Maria, plena

---

(1) S. Thomas, 2-2, q. 165, a. 2.

(2) Adverbium « forte », etsi in textu hebraico non reperiatur, putandum non est *arbitrarie* in Vulgatam introductum esse. Heva enim juxta textum hebraicum non dixit, sicut Deus dixerat: « morte » idest « certo » morieris, sed simpliciter « moriamur ». Cf. Hetzenauer, Comm. in Genesim, 1910.

gratia et sanctitate, *firma stat* et immobilis perseverat in concepto virginitatis proposito, ceditque solummodo *manifesto miraculo* Omnipotentis: « *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* », atque, ejus nutui consensum praestando, *Sponsa* efficitur *Spiritus Sancti, Mater divini Verbi* incarnati, et per Ipsum cunctorum *salvandorum.* Heva, econtra, ipsa quoque tunc gratia et sanctitate ornata, *dubitat, fluctuat, cedit* iniqui tentatoris illecebris, et amittens gratiam, eamque surripiens Adamo, contra praeceptum divinum eum ad actum maritalem inducendo, *sponsa* efficitur *diaboli,* et ita per diabolum et Adam cunctorum *mater damnatorum*, nisi per Christum (et Mariam) redimentur.

Analogia *lapsum* inter et *reparationis opus,* in nostra sententia, est, ut patet, undequaque perfecta et plane mirabilis! Caput I Evangelii S. Lucae explicat III Geneseos; mysterium Nazareth, integrum mysterium Eden; Gabriel archangelus, Luciferum; votum Virginis Mariae divinitus inspiratum, praeceptum continentiae Protoparentibus datum; sermo coelestis Nuntii Mariam de generatione Verbi incarnandi edocentis, sermones a daemone cum Heva in ordine ad humanam generationem habitos; fidelitas Mariae, ejusque virginitatis triumphus, quae *virgo concepit, virgo peperit, virgo quem genuit adoravit*, infidelitatem, miserrimumque primae nostrae parentis lapsum, quae, *mente et corpore* corrupta, eos quos genuit *dupliciter* mortuos genuit, eosque dupliciter lugendos luxit!...

Parum, fortasse, positivum, potiusque rhetoricum, videbitur alicui postremum hoc argumentum. — Si *separatim* sumatur, forsan ita est; ast, si *unacam aliis* ipsum spectetur, non exiguam lucem propositioni nostrae — imo hypothesi generali (universae) — ex eo derivari simul fateri cogimur. Nam sicut *a Maria*, Deo

auctore, et Angelo e coelo misso executore, *initium puritatis, continentiae* et *castitatis;* ita *a muliere,* auctore diabolo, *initium factum est peccati,* initium *concupiscentiae, corruptionis* et *maledictionis;* et *per illam omnes morimur!* (1)

(1) *Eccles*, XXV, 33.

VIII

CONCLUSIO

Ex iis quae hucusque disputavimus, satis superque patet opinio nostra circa propositam quaestionem: « Quale fuit, juxta Genesim, Protoparentum peccatum? »; patent etiam praecipua argumenta, quae eam nobis sufficienter fulcire videntur.

Diximus: *nobis*; nam an praefata argumenta, quibus eam probare et illustrare studuimus, reipsa *sufficientia sint* ad extorquendum theologi prudentis assensum, adeo ut opinio nostra tamquam *vere probabilis* tuta conscientia retineri et doceri possit, hoc nostrum haud est judicare: tum quia nemo judex in causa propria; tum quia ad tantum judicium proferendum impar omnino est paupercula scientia nostra, nobisque jure meritoque objici possent versus Alighieri:

> « *Or tu chi se' che vuoi sedere a scranna,*
> *Per giudicar da lungi mille miglia,*
> *Con la veduta corta d' una spanna?* (1);

(1) *Parad.* C. XIX, 80.

tum denique, et potissimum, quia in interpretandis Sacris Scripturis ratio individualis, quaecumque tandem illa sit, et cujuscumque sit, erit semper criterium veritatis secundarium, *totaliter subalternatum* infallibili Magisterio Catholicae Ecclesiae, quae est « COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS » (1) revelatae (et connexae); « cujus est — ut post *Tridentinum* nuper, ut vidimus, definivit *Concilium Vaticanum* — judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum » (2); et cujus proinde judicio quilibet scriptor, veri nominis catholicus, *simpliciter intimoque animi sensu sesé subjicere debet.*

« Quae igitur, ut verbis utamur magni AUGUSTINI, (hac in nostra dissertatiuncula) vera esse perspexeris, tene et Ecclesiae Catholicae tribue; quae falsa, respue et mihi, qui homo sum, ignosce; quae dubia, crede donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda vel ratio doceat, vel praecipiat auctoritas. » (3)

Ceterum, opinio nostra nobis non videtur contraire judicio, quod circa *characterem historicum trium priorum capitum Geneseos* PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA, sub die 13 Junii 1909, tulit; nominatim iis, quae in illo *Decreto*, sub n° *III°*, continentur. — Nos enim, quemadmodum ex dictis patet,

a) Non revocamus in dubium *sensum litteralem historicum* factorum quae in illis capitibus, utpote quae christianae religionis fundamenta attingunt, enarrantur, et inter quae « praeceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam », necnon « divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio » enumerantur; sed tantum duo haec facta,

---

(1) TIM., III, 15.

(2) Cf. *supra*, pag. 29 in *Nota*.

(3) *De Vera Religione*, 20.

sensu quidem *litterali historico,* at non proprio, sed *improprio*, seu *metaphorico*, explicamus.

b) Pontificia Commissio asserit simpliciter « praeceptum a Deo homini datum » inter facta christianae religionis fundamenta attingentia recensendum esse, quin *expresse* specificet, *quale* ipsum fuerit aut quomodo intelligi debeat.

c) Incisum illud: « sub serpentis specie » (an realis vel apparentis, Commissio non dicit) cum sit, ut patet, *accidens facti*, tale nobis non videtur, ut inter facta christianae religionis fundamenta attingentia recenseri possit, multoque minus debeat; vel saltem — attentis iis quae in eodem *Documento* leguntur — an haec fuerit laudatae Commissionis mens, rationabiliter in dubium revocari potest.

Diximus: *attentis iis* etc. — Nam ibidem (n° V°) dubio: « Utrum omnia et singula, verba scilicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifeste appareant improprie seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae, et sensum proprium vel *ratio prohibeat* vel *necessitas cogat dimittere?* » eadem Pontificia Commissio respondit: « *Negative.* » (1)

---

(1) Commissio de Re Biblica, — *Decretum — de charactere historico trium priorum capitum Geneseos.* — Praestabit tres postremas conclusiones praefatae *Pontificiae Commissionis*, disquisitionem nostram respicientes, hic ex integro referre.

« III. Utrum speciatim *sensus litteralis historicus* vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in iisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu justitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie

Par omnino videtur quaestio nostra *de serpente genesiaco* quaestioni de *Hexaemero;* si enim haec solvi potest per interpretationem *impropriam*, quare non et nostra per *metaphoricam?* Nulla apparet ratio discriminis adhibendi in interpretandis « diebus genesiacis » ex una, et in interpretando « serpente genesiaco » ex altera parte. (1)

---

suasore, transgressio; protoparentum dejectio ab illo primaevo innocentiae statu; necnon Reparatoris futuri promissio? »

« Resp. — *Negative.* »

« IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores *diverso modo intellexerunt*, quin certi quippiam definitique tradiderint, liceat, salvo Ecclesiae judicio, servataque fidei analogia, eam, *quam quisque prudenter probaverit,* sequi tuerique sententiam? »

« Resp. — *Affirmative.* »

« V. Utrum omnia et singula, verba scilicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint *sensu proprio*, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifeste appareant improprie seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae, et sensum proprium vel ratio prohibeat vel necessitas cogat dimittere? »

« Resp. — *Negative.* »

« Die autem 30 Junii anni 1909, in audientia ambobus Rev.mis Consultoribus ab Actis benigne concessa, SS.MUS praedicta responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit. »

« Romae, die 30 Junii 1909. »

« FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S. »
« LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B. »

(1) Clar. P. HYACINTHUS CERESETO in suo VOTO: « Storicità dei primi tre capitoli della Genesi », compilato per ordinem habitum a *Commissione Pontificia de Re Biblica* (Romae, Typ. Polygl. Vatic., mense maio 1909), scribit:

« *Quaeritur 3°* — Utrum possit admitti sententia S. AUGUSTINI (ab ipso tamen proposita nutanter tanquam incerta et valde dubia), juxta quam sex dies Geneseos forent dies lucis spiritualis, et simultanei; seu *visio quaedam angelica sexies repetita, non tamen successive, sed uno momento temporis, per quam Angeli viderint* OMNIA SIMUL *opera sex dierum, ex una parte in seipsis* IMPERFECTE (vespere), *ex alia parte in Verbo Dei* PERFECTE (mane); — vide-

Quodsi, in praesenti opusculo, etsi Superiorum nostrorum approbatione munito, Supremum Ecclesiae Magisterium aliquid censura dignum repererit, nos protinus hilarique animo eum igni trademus. Nam, haec est gloria nostra, *Fides* Catholicae Ecclesiae, quam semper secuti et tutati sumus, et in cujus amplexu, Dei auxilio suffulti, expirare confidimus, « *expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi.* » (1)

Hoc unum, antequam calamum deponamus, solemniter protestamur: nos non libidine novitatis, nec vana alia ratione (Deus nobis testis est) ad hanc dissertatiunculam exarandam motos esse, sed veritatis indagandae et dilucidandae amore unice ductos, necnon (sicut in praefatione innuimus) ut repetitis precibus veterum consodalium obsecundaremus. Neque illud praetermissum volumus, nobis, antequam eam Superiorum judicio subjiceremus, non defuisse viros, in re tam theologica quam biblica versatissimos, qui eam sedulo perlectam judicarunt typis dignam; nos certiores facientes, non modo nihil absurdi ipsam praeseferre, nihilque *contra fidem* veritatesve connexas, aut *contra mores* in ea contineri; sed et studiosis S. Scripturae non omnino inutilem, et ad bonos mores virtu-

---

rint nempe ea opera tantum post illam visionem futura, non amplius tamen *omnia simul*, sed cursu temporis, suis quaeque temporibus in suas manifestas formas actusque creanda? »

« (Juxta meum humile judicium) *Respondeo:* Attenta auctoritate tanti Doctoris, et salvo judicio S. Ecclesiae, videtur licite posse amplecti talem interpretationem, quamvis minus probabilem, et, juxta Magistrum Sententiarum et ipsum S. THOMAM, minus ab Ecclesia probatam quam aliorum Sanctorum Patrum sententiam, qui tenuerunt: Hexaemeron biblicum intelligendum esse de veris diebus seu periodis temporis, *distinctis* atque *successivis*. »

(1) *Tit.*, II, 13.

tesque christianas in animis excitandas efficacissimam evasuram. (1)

Et revera — nisi nostra omnino nos fallit opinio — postremo hoc ex capite (etiam abstractione facta ab approbatione Superiorum) nihil timendum luce meridiana clarius nobis videtur. Nam ad omnes christifideles, et in cubiculis et super tecta, nos alte et secure clamare poterimus: *Quasi a facie colubri fugite peccata, fugite vitia;* summopere vero *cavete a superbia, cavete a luxuria!...* Mementote quod per *haec duo vitia* malum et corruptio intrarunt in mundum; quod *per ipsa* Adam et Heva felicitatem amiserunt, atque e terrestri paradiso exules effecti sunt; et quod ipsa *causa praecipua* extiterunt — et nunc quoque sunt — ruinae totius humani generis!... Non ergo infelices Protoparentes, sed *Novum Adam, Novamque Hevam* imitamini; imitamini *humilitatem* D. N. Jesu Christi, qui « *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis* » (2); imitamini *humilitatem, puritatemque immaculatam* beatissimae semperque Virginis Mariae, et obtinebitis regnum aeternum.

---

(1) Hos inter, duos hic meminisse lubet: A. R. P. Augustinum Molini O. F. M. (f. r.) quondam Definitorem Generalem Ordinis, *Lectorem S. Scripturae* in Collegio Ordinis principe ad S. Antonium Pad. de Urbe, *Consultoremque Commissionis Biblicae*, qui viva voce dissertationem nostram, substantialiter inspectam, et probavit et laudavit: necnon A. R. P. Dorotheum Cornelisse O. F. M., in Pontificio Seminario Lateranensi actualem *Theologiae fundamentalis Professorem,* qui, patienter *Dissertatione* perlecta et ad trutinam revocata, sequens iudicium, privatum quidem ac sub respectu simpliciter theologico, litteris nobis transmisit: « Opus tuum integre inspectum valde dignum sane est ut publici juris fiat, tum quoad materiam, quia agitur de quaestione (modo suo) perpulchra et valde gravi, tum quoad formam, quia rem totam ubique peragis mente et stylo modestissimis. »

(2) *Phil.*, II, 7.

Quod nobis concedat Ille, qui cum Patre et Spiritu Sancto est benedictus Deus in saecula saeculorum. Amen.

Scribebam Carrariae ad « Virginem Gratiarum »
Kal. Februar. anni 1916.

P. BONAVENTURA BUSELLI O. F. M.
S. Theol. Lector Jubil.

INDEX

Dicatio . . . . . Pag. 3
Approbationes . . . . . » 5
Praesentis Dissertationis occasio . . . » 7

I. Doctrina SS. Patrum exponitur . . . » 9
II. Explicatio Patristica estne sufficiens? . . » 20
III. Tentamen explicationis . . . . . » 23
IV. Praenotiones et status quaestionis . . . » 24
V. Scriptores et interpretes qui hac super re a sensu litterali proprio recedendum putarunt . » 31
VI. Opinio auctoris exponitur et demonstratur . » 36

Prop. Unica: « *Perpensis omnibus adiunctis narrationis Mosaicae de lapsu Protoparentum, ea quae Genesis refert de ligno seu fructu vetito, nobis videntur translate seu metaforice esse accipienda; — ita quidem, ut lex probationis a Deo ipsis imposita fuerit continentia seu abstinentia temporalis ab actu maritali; — transgressio vero sive peccatum Protoparentum fuit peccatum superbiae simul et luxuriae* » » ivi

Declaratio propositionis . . . . . » ivi
I.° Argumenta ex Contestu necnon ex adiunctis narrationis Mosaicae . . . . . » 37
II.° Argumenta aliunde deprompta. . . » 58

APPENDIX

DE SERPENTE TENTATORE

§ I.

Prop. I: « *Perpensis omnibus adiunctis narrationis Mosaicae, probabilius nobis videtur serpentem Geneseos metaphorice esse accipiendum — ita ut nomine serpentis intelligendus sit ipse Diabolus, seu Daemon, seu Satan, qui fuit praevaricator a principio* » . . » 73

a) Praenotamina . . . . . » ivi

b) Argumenta . . . . . » 74

— **Scholion** . . . . . » 82

§ II.

Praenotiones ad II propositionem . . » 88

Prop. II: « *Etsi, stante silentio Genesis, id certo asseri nequeat, nedum possibile, sat verisimile nobis videtur, Diabolum sub specie humano-virili Hevae apparuisse, — eamque et verbis et gestibus ad incontinentiam provocasse* . . . . . » 91

a) Declaratio propositionis . . . » ivi

b) Argumenta . . . . . » 92

VII. Conclusio . . . . . » 104

ERRATA		CORRIGE
Pag.	16 (Nota) dissobedienza	disobbedienza
»	20 metaphroico	metaphorico
»	23 (In enumer. progressiva titulorum) IV. V etc.	III. IV. etc.
»	ivi exalicatio	explicatio
»	56 (Nota 3) carni	carnis
»	59 computatar	computatur
»	69 commedissent	comedissent
»	73 ducimns	ducimus

CHRISTIAN THEOLOGICAL SEMINARY
3 9305 01073861 3

BT 701 .B87 1920
Buselli, Bonaventura.
Quale fuit

LIBRARY
Christian Theological Seminary
1000 West 42nd Street
Indianapolis, IN 46208

DEMCO